MINISTRORVM TIGVRINAE ECCLESIAE, AD CONFVTATIOnem D. Iacobi Andreæ, pro Defenſione Brentiani teſtamenti æditam, APOLOGIA.


In qua pro veritatis ſimplicis & noſtræ innocentiæ defenſione, malitioſæ D. Iacobi Andreæ calumniæ & futilis maledictorum, quæ in nos effudit, colluuio, ita deteguntur & confutantur, vt Chriſtiani homines, per gratiam Dei, ab illius Sophiſtica & fallacijs ſibi facilè cauere poſsint.

II. CORINTH. I.

Gloriatio noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod cum ſimplicitate & ſynceritate Dei, non ſapientia carnali, ſed per gratiam Dei, conuerſati fuerimus in mundo.

TIGVRI

Excudebat Chriſtophorus Froſchouerus Anno M. D. LXXV.



Ad Lectorē æquū.

Cedro op9 hoc dignū est, uel si qd honestius usq̄
Æterna meritū laudis habere potest.
Namq; ita confutat renouata dogmata sectæ
Eutychis, Arij, Nestorijq; simul;
Vt par maiorū nullū pia secula scriptū,
Nec præsens melius temp9 habere putē.
finis:~ Ioh̄.E.d.

OMNIBVS QVI IN AVSTRIA, GERMANIA ALIISQVE regionibus nomē Domini nostri IESV CHRISTI inuocant, HEINRICHVS BVLLINGERVS, Ecclesiæ Tigurinæ minister, gratiam & pacem à Deo, per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM. precatur.

ANNO *in carne nati Filij Dei* M. D. LX. *breuem & compendiosam verborum Domini nostri* IESV CHRISTI, *quæ apud Ioan. cap.* 14. *leguntur:* In domo Patris mei mansiones multæ sunt, &c. *declarationem conscripsi, et eandē typis excusam publicaui. Quod cùm bona animi intētione, neq; in alium finem fecissem, quàm vt Christianos homines cōsolarer, deq; salute nostra, quæ* CHRISTI IESV, *redemptoris nostri vnici merito nobis quæsita & in cœlis reposita est, certiores redderem, minimè suspicabar, aliquem exoriturum, qui mihi litem moueret, aut certamen cōtra me animo hostili susciperet. Veruntamen nescio à quibus extimulatus D. Ioānes Brentius, arrepto calamo aduersus libellū istum meum, adeo hostiliter scripsit, vt necesse omnino esset illi respondere, meamque doctrinam, quæ vetus atq;*

Bullingeri & Brentij cōcertatio.

orthodoxa Ecclesiæ doctrina est, aduersus eum tueri. Tunc Brentius irritatus, Responsionem meam non tam confutare, quàm miris modis atq; artibus in contemptum adducere studuit. Quapropter alteram responsionem eius scripto opposui. Qua ille vehementius commotus tertium librum, quem Recognitionem inscripsit, contra me ædidit. Ad quem ego vicißim respondi eo libello, quem Repetitionis titulo vulgaui. Durauit autem certamen hoc totis annis quatuor, in annum videlicet nati Christi M. D. LXIIII. *quo tempore interea alij quoque libri pugnaces & contentiosi prodierunt.*

Principes student inducias facere.

Mouit hoc aliquos pios & pacis amantes Principes, qui scriptis eiusmodi simpliciores vehementer offendi, communes verò fidei nostræ hostes exhilarari, simulque Euangelicæ prædicationis cursum iisdem impediri potius quàm promoueri arbitrabantur. Quapropter, quæ illorum est pietas & in tuēda Ecclesiarum pace studium, scriptis ad nos, qui Tigurinæ Ecclesiæ ministri sumus, & ad nostros vicinos literis, amicas inducias vtrinque fieri postulabant: si fortè interea, Dei gratia interueniente, alij alios rectius intelligerent, seque mutuò animis æquioribus ferrent, tandemque sublata omni animorum offensione, fraternæ dilectionis studium & pia consensio succederet. Id verò non difficulter Illustriß. principes à nobis impetrarūt, quos iampridem contentionum eiusmodi tædebat: ea tamen

men conditione, vt aduersarij quoque nostri in inducias hasce consentirent: neque dißimulabamus, nos saluo Dei & nostro honore silere non posse, si illi veritatis doctrinam & nos propter hanc proscindere ac diffamare pergerent. Fuit hoc Illustriß. Principum institutum sanè pium & conatus immortali laude dignißimus. Itaque nos quidem inducias, quas illi fecerant, aliquanto tempore bona fide seruauimus, vt qui pace Ecclesiarum nihil antiquius habeamus: nunquam verò à quibusdam peruersè doctis aduersariæ partis hominibus, quos & pacis odium & innatum garrulitatis studium inflammabat, impetrari potuit, vt ipsi quoque idem facerent. Testantur hoc ipsorum libri, quos interea aduersus nos contumeliosißimè scriptos vulgauerunt: vt iam nihil dicam de eorum concionibus plus quàm tribunitijs, in quibus ex suggestu sacro corā plebe conuitiorum plaustra in nos immerentes quotidie effundebant.

Aduersarij inducias uiolant.

Accidit præterea, vt quidam inquieti ac turbulenti homines D. Brentij testamentum (quo Christiana fides facilè carere poterat) typis excusum, quasi Pandoræ pyxidem, publicarent. Erat hoc nouum odij acerrimi argumentum, quo isti excæcati nouas turbas & confusionem non leuem in Ecclesia excitarunt. Enimuero tam contumeliose & tanta verborum acerbitate testamentum illud aduersus nos erat conscriptum, vt quamuis nihil

Brentij testamentum

nobis optatius esset, quàm pacem colere, ei tamen vel inuiti cogeremur respondere. Id verò à nobis maiori cum modestia, quàm qua testamenti scriptor vsus erat, factum fuisse testabuntur, quotquot vtrumque scriptum legerint.

Iacobi Andreæ confutatio.

Ab eo tempore per annos tres nemo prodijt, qui aduersus nostram ad Brentij testamentum responsionem aliquid inimicum aut hostile proferret. At quia hoc anno noui & non contemnendi auxilij spes aduersarijs aliunde affulsit, ea D. Iacobus Andreæ, quem cognomento Schmidelinum dicunt, animosior factus, subitò erupit, & librum publicauit, cuius inscriptio hæc est: Confutatio responsionis Ecclesiastarum, qui Tiguri sunt, ad D. Ioannis Brentij testamentum, per Iacobum Andreæ D. Præpositum Tubingensem. *Qua Confutatione animum suum ita prodidit, vt cordati omnes facilè videant, hunc ei scopum propositum fuisse, vt non solùm nos, sed Ecclesiam quoq; nostram atq; doctrinam contumeliosissimè traduceret, nullo tamen nostro merito. Neque ei satis fuit, quòd causam nostram bonam atque iustam peruertit atque conuitiatur, verum etiam apud exteros & procul dissitos nos traducit, ac si nocentissimi seductores, doctrinæ peruersores, & diuini nominis prophanatores simus, à quibus sibi omnes cauere debeant.*

Etenim in Præfatione libri sui, quam ad Austriacos scripsit, hoc omnibus seculis Ecclesiæ accidisse

disse dicit, vt sicubi Dei verbum bene plantatum esset, satan hoc per falsos doctores obscurare & adulterare conatus sit: quod ipsum hodie etiā faciant Sacramentarij. Ita verò nos vocat, quos alio nomine ferè Zuinglianos dicit. Ita verò hoc scribit, vt non obscurè innuat, nos eos esse, qui si quando ipse cum suis complicibus Dei verbum in lucem proferat & Ecclesias constituat, in ipsorum labores subdolè subrepamus, & quod ab ipsis bene plantatum est, corrumpamus.

Accusamur ut subrepititij Ecclesiarū turbatores.

Priusquam verò ad huius criminis confutationem accedamus, hoc non possumus silentio præterire, nos neq. Sacramentarios neq. Zuinglianos esse, sed Christianos. Etenim Sacramentarij propriè dicuntur, qui Sacramentis plus quā par est tribuunt: quod aduersarios nostros potius quàm nos facere, alibi demonstrauimus. Zuingliani verò non magis quàm Lutherani aut Caluiniani sumus. Etenim omnibus istis Ecclesiæ ministris, nō aliter credidimus, et etiamnum credimus, quàm quatenus suam doctrinam ex Dei verbo & Domini nostri IESV CHRISTI *Euangelio depromunt, & eiusdem authoritate confirmant. Itaque non Zuingliani, sed Christiani sumus, vt qui Dei verbo credimus: & iā sæpius sumus protestati, nos (sicuti Paulus monuit) à nemine mortaliū denominari velle: In qua sententia adhuc hodie constanter perserueramus.*

Nos neq Sacramentarios neq zuinglianos esse.

D. Iacobo Andreæ autem eiusque socijs, idem 1. Cor. 14.

Quãdo Euangelium Tigari cœpium prædicari.

quod Paulus Corinthijs olim dicebat, respõdemus: An à vobis sermo Dei profectus est? an ad vos solos deuenit? Enimuero in veritate syncera & absque omni gloriatione carnis testari possum, hoc beneficium nobis per inexhaustam Dei bonitatem eiusque gratuitam misericordiam accidisse, vt Dei verbum & Euangelium IESV CHRISTI in inclita Tigurinorum ciuitate, aduersus Papatum & omnis generis errores, verè, perspicuè & constanter prædicaretur, priusquàm Lutheri nomen apud Heluetios innotuisset. Adhæc Tigurinam Ecclesiam omnium, quæ in superiori Germania sunt, primam fuisse constitutam dico: eo tempore nimirum, quando Dei verbum in clarißimis ciuitatibus, Berna, Basilea, Scaphusia, Geneua, Curia Rhetorum, Argentina, Constantia, Vlma, Augusta (quas honoris causa nomino) & quibusdam alijs, radios quidem suos proferre incipiebat, nulla autem reformatio adhuc fieret, quæ postea demum secuta fuit.

Quomodo reformata Ecclesia Tigurina.

Quod autem in Tigurina Ecclesia in ipso statim reformationis principio factum est, id non absque legitimo ordine, multò minus autem seditiosè aut cum tumultu ex hominum sectariorũ & petulanter tumultuantiũ libidine cœptum fuit: sed non sine numine, omnia legitimè, prudenter & pacificè secundũ diuini verbi regulã fuerunt constituta: et quidem ex Senatus quoq; legitimi decreto, cui populus

pulus iam ante probè institutus voluntariè obtemperauit. Nam priusquã in religione Papistica iam olim recepta & aliquot sæculis cõfirmata quicquã mutaretur seu aboleretur, disputationes publicæ, liberæ & Christianæ institutæ sunt, ad quas Episcopi ordinarij & doctissimi quique cum toto Clero (vt Papistis vsitato vocabulo vtar) euocati fuerunt. Adeò autem nemini silentium tunc imponebatur, vt laicis quoque liceret ex sacris scripturis ea in medium afferre, quæ ipsis ad causæ istius cognitionem facere videbantur.

Disputatũ publicè.

Itaque post longam demum & maturam deliberationem manus operi admoueri cœpit, vt legitimo ordine & absque omni tumultu ex templis ea auferrentur, quæ cum Dei verbo non conueniebant, & quibus primitiuam atque apostolicam Ecclesiam olim caruisse, quæque eius exemplo siue authoritate probari non posse constabat. Et quod paulò ante diximus, priusquam aliqua mutatio fieret, populus totus non in vrbe solùm, sed toto quoque Tigurinorum agro (qui comitatus, baronatus & oppida non pauca complectitur) ex Dei verbo de religione diligenter edoctus erat: quæ causa fuit, vt plerique in publicam Ecclesiæ reformationem consentirent, & Papisticis superstitionibus spontè renuntiarent.

Reformatio instituta

Tunc ergo abolita apud nos fuit Missa cum omnibus suis connexis, & quidem ijs potissimùm,

Quid Tiguri mutatum & sublatũ fuerit

quæ pro mortuis solebant fieri. Sublatæ etiam sunt imagines, quæcunque in templis ad cultum prostabant, vnà cum toto papistico templorũ ornatu. Abrogatus item est cantus papisticus simul & preces superstitiosæ atque scripturis sacris contrariæ: dies item festi, quotquot creaturis dicati erant: innocatio Diuorum & tam horum quàm reliquiarum, quæ ipsorum nomine ostendebantur, cultus, vnà cum Sacramentis papisticis, quorum institutio atque vsus ex Dei verbo non potest probari. Cessarunt tunc etiam vota monastica cum toto illo cultu sacrificulorum fictitio, & quicquid præterea absque verbi Dei authoritate & contra Apostolicæ Ecclesiæ exemplum posteris demum temporibus erat introductum. Sed & ipsi Romano Pontifici longum valere renuntiarunt nostri homines, donec ille suos ritus atque cultus Dei verbo ex scripturis veteris & noui Testamenti petito probet atque confirmet.

Quid substitutum loco sublatorũ?

Et vt quod iam ante dictum est, repetam, nihil hîc tumultuariè fiebat, neque eos nostri imitabantur, qui in domo aliqua petulanter omnia euertunt & dißipant, euersis autem & turbatis omnibus domum relinquunt, neque quicquam suo loco restituunt. Nec enim abusus solùm aboleuerunt, sed insuper in eorum, quæ sublata oportuit, locum, ritus atque exercitia à Deo nobis tradita, & fidei Christianæ consentanea substituerunt. Si quid autem anti-

quitus piè & secundùm scripturas institutum erat, id immotum intactumque nobis mansit. Iere.1.

Quapropter Missis, quæ contra Christi institutũ celebrabantur, cõciones quotidianæ successerũt, in quibus nemini licet quicquam proferre, quàm quod Dei verbo in sacris literis tradito sit consentaneum. Substituta quoque est sacrosancta Domini nostri IESV CHRISTI *cœna, quæ statis diebus in memoriam mortis suæ cum publica pro nostræ redemptionis per illum factæ beneficio gratiarum actione celebratur.*

Quoad verò doctrinam, hoc tunc præcipuè obseruari cœpit, vt fidei Christianæ & orthodoxæ articuli populo toti, & quidem pueris quoq;, fideliter & dilucidè explicentur, vt singuli, quid credi debeat, intelligant. Vt item Dei præcepta tradantur, quisque eorum proprius vsus sit: nimirum vt (quod Paulus scribit) pædagogi instar nos ad Christum deducant, quidque à nobis fieri debeat vel omitti, doceant, imprimis verò ad dilectionem fraternam & misericordiæ studium excitent. Præterea vt oratione Dominica rectè intellecta, omnes Deũ assiduè & seriò precari discant, certoq́ intelligant, Christianos homines, dum in hisce terris viuũt, consolationem præcipuam ex precibus percipere: vtq́ Deo pro acceptis beneficiis indesinenter gratias agant, eiusque laudes prædicent, Fit etiam inter docendum frequens Sacramentorum mentio, Baptis- Doctrina. Galat.3. Preces. Sacramẽta

mi nimirum & cœnæ Dominicæ, in quem finem illa à Domino instituta, quis proprius eorundem vsus atque fructus sit, & vt singuli sese ad illa præparare debeant.

Ordines.

Nam etsi reliqua, quæ Pontificij doctores Sacramentorum nomine venditant, pro veris sacramentis minimè agnoscamus, vt duo ista quæ modò commemorauimus, in pœnitentia tamen & peccatorũ confeßione constanter retinemus & docemus, quæcunque de his verbo Dei probantur. Confirmationi autem papisticæ Catechesis siue puerorum in fide institutio succeßit. Similiter coniugia secundùm Dei verbum sanctè contrahi & coli debere, sedulò docemus. Ordinatio item ministrorum Ecclesiæ, & eorum qui ex morbis decumbunt visitatio, sicuti de his ex scripturis edocti sumus, obseruantur: adeoq́ de his omnibus certas leges atque ritus habemus constitutos.

Ornatus templorum

Hoc ipsum de imaginum vsu & reliquo ornatu ex templis sublato dici potest. Nam his quoque doctrina substituta est, quæ Deum ex verbo suo atq operibus, & quidem potißimùm ex beneficijs, quæ in nos confert, docet agnoscere: tradit eadem, vt quisque proximum suum, qui ad Dei imaginem conditus est, vestire & omni officiorum genere iuuare debeat: templorum item ornatum longè pulcherrimum in virtute & sancta vitæ morumq́ue disciplina consistere: In quem finem disciplinæ ecclesia-

clesiasticæ leges sancitæ sunt, ex quarum præscripto quicunque delinquunt, admonentur, vt ad officium redeant: scelera autem grauiora & manifesta, vt par est, puniuntur.

Disciplina ecclesiastica

Canticorum loco, quæ in templis varia & prolixa nimis resonabant, publicæ preces & Dei laudes cum gratiarum actione habentur. Qui verò prius Diuos cœlites inuocabant, ij iam ad solum IESVM CHRISTVM, qui vnicus & verus humani generis apud Patrem Mediator & aduocatus est, remittuntur. Interim docentur ijdem, vt de Diuis honorificè sentiant & loquantur, imitentur item fidei & vitæ sanctæ exemplum, quo illi nobis præiuerunt. Reliquias verò in templo Dei omniū pretiosissimas esse docemus, æternum Dei verbū, Euangelium videlicet IESV CHRISTI, & quæ hic Ecclesiæ suæ tradidit Sacramenta.

Cantus.

Reliquiæ.

Collegiorum verò, cœnobiorum & quæcunq; alia sunt ecclesiastica bona, partim in doctrinæ & scholarum subsidium destinata sunt, partim xenodochijs & pauperum subuentioni seruiunt, & si quid reliquum est, in publicos atque necessarios vsus reseruatur.

Bona Ecclesiastica.

Denique singulari gratuitæ misericordiæ Dei beneficio factum est, vt in antiquissima Tigurinorum vrbe simul & agro Ecclesiam verè Christianam constitutam habeamus, in qua præcipua illa ornamenta videre licet, quæ Lucas Act. 2. cap. pri-

Præcipuæ Christianæ ecclesiæ notæ.

mitiuæ & Apostolicæ Ecclesiæ tribuit, sic scribens: Quicunq; libenter receperunt sermonem, baptizati sunt, & perseuerabant in doctrina Apostolorũ, et cõmunicatione, et fractione panis, et precationibus.

Affictiones.

Et his quidem ad hunc modum constitutis, Ecclesia Tigurina iam inde ab initio insidias multorum experta & grauißimis comminationibus oppugnata est, simulque opprobria, contumelias, persecutiones & clades quoque non leues sustinuit. Sed adfuit illi Deus sui spiritus virtute, eamque sapientia, patientia & constantia incredibili armauit, vt per omnis generis aduersa & tempestates in recepta semel reformatione in hunc vsque diem perseuerauerit, cum hac protestatione verè Christiana, quòd meliora ex scripturis sacris docentes libenter audire, & iisdem cum gratiarumactione obedire velit, Deoque debitum obsequium præstare.

Constantia in recepta simplicitate.

Agnoscimus ergo hoc singulari diuinæ clementiæ beneficio factum esse, quòd in semel recepta fidei & doctrinæ forma hucusq; semper sibi similis perstitit, neq; vllas mutationes admisit, quibus vel doctrinæ verbi Dei vel ex hoc institutis ritibus modò hoc modò illud adiiceretur: Sed quæ eius forma fuit, cùm primùm Euangelij luce illuminata sublatis superstitionibus puriorem Dei cultum amplecteretur, eam in hunc vsque diem in omnibus fidei & religionis capitibus immotã & intactã retinet.

Accedit his aliud diuini fauoris & protectionis docu-

nis documentum, quod nullæ in ea sectæ, nullæque dissensiones vnquam exortæ sunt, vno Anabaptismo excepto, qui nec ipse in illa enatus, sed aliunde inuectus fuit per Thomam Munzerum, qui cùm ex Saxonia in Heluetiæ fines Vualdisbutũ & Griessium vsque excurrisset, virus illud suum in nostrã quoque gentem effundere cœpit, sicuti alibi à nobis prolixius est dictum. Mox tamen disputationibus publicè institutis furores illorum per veritatis lucem repreßi sunt, & hodie etiã, sicubi illorum scintillæ sese proferunt, publica amplißimi senatus authoritate atque sanctis legibus coërcentur. Quare atrocem nobis iniuriam faciunt, qui nos Anabaptistarum sectæ accensent, & de nobis perinde vt Anabaptistis loquuntur & scribunt, vt calumnijs suis nos apud rudes & imperitos rerum in inuidiam atque odium adducant.

Ecclesia Tigurin. à sectis libera. Anabaptismus.

Fuit præterea ab ipso reformationis exordio mirificus & vnanimis inter Tigurinæ ecclesiæ ministros doctrinæ consensus, quem etiam nunc hodie constanter colunt: & vt hoc bonum nobis Deus perpetuum esse velit, sedulò precamur. Etenim nullæ inter eos de fidei capitibus vnquam concertationes exortæ sunt: Cùm è contra lippis & tonsoribus constet, quid ferè in alijs Ecclesijs fieri soleat, in quibus ministri neq; inter se amicitiã & dilectionẽ fraternam colere, neq; de doctrinæ capitibus conuenire possunt, vt cum Ecclesiarũ ædificatione eadem

Ministrorũ Tigurinæ ecclesiæ consensus.

sentiant & loquantur. Inter nos certè de Deo & Domino nostro IESV CHRISTO, de homine, de peccato, de gratia Dei, de iustificatione, de fide & operibus, de sacramentis denique nunquam con certatum est: & ignota adeoq; inaudita sunt nostris hominibus (quod absq; inuidia dictum velim) odiosa Synergistarum, Maioristarum, Adiaphoristarum, Antinomorum, Suenkfeldianorum, Flaccianorum, aliorumq; similis farinæ nomina atque dogmata, de quibus alibi pugnatur.

Doctrinæ scopus ædificatio.

Nostræ enim Ecclesiæ ministris hic scopus propositus est, vt non affectato, sed simplici dicendi genere & non absque auditorum fructu, resipiscentiam atq; peccatorū remissionem in IESV CHRISTI nomine prædicent: vtque populum in fidei simplicitate, animorum item consensione & dilectione Christiana retineant. Quapropter imperitam & simplicem plebem nequaquam grauant peregrinis rixis & rerum sublimium speculationibus: multò minus verò auditorum aures conuitiis, probris atq; mordacibus dictis replent: quod nonnulli aduersariæ partis concionatores facere solent, ex quorum concionibus plerique doctrinæ quidem & consolationis atque adhortationis vacui, conuitiorum verò, quæ in procul absentes Zuinglianos & Sacramentarios siue Sacramentiperdas effundi audiuerunt, non pleni modò, sed iis audiendis ad nauseam vsque fatigati, domum reuertuntur.

Sectas

Sectas verò atq; hæreses omnes, cùm veteres tum recentes, Ecclesia nostra iampridē abominata est & procul eliminauit: de quo non obscurè testatur, quæ anno Domini M. D. L X V I. *ædita à nobis fuit, fidei atq; doctrinæ nostræ Confeßio.* Sectæ ueteres.

Et hæc quidem de Tigurina Ecclesia vt verè, ita non absq; graui adeoque necessaria causa hoc loco mihi dicenda fuerunt, propter nostri aduersarij aut accusatoris, vel potius calumniatoris, improbitatem, qui inter rerum ignaros impudenti garrulitate sese ostentans, suos labores perinde iactat, ac si nullæ vsquiam Ecclesiæ orthodoxæ siue Christianæ sint (quod in nullius Ecclesiæ veræ contumeliam dictum volumus) quàm quas ipse aut sui complices plantarint: nos verò vbiq; gentium traducit, vt qui ipsorū labore cōditas Ecclesias vastemus, & in Veritatis via incedentes per auia in errorem abducamus. Quod ab illo non minus impudenter quàm falsò dicitur. Etenim optimè nobis conscij sanctè affirmare poßumus, neminem mortalium inueniri, qui idoneis argumentis siue testimonijs demonstrare poßit, Ecclesias bene constitutas vnquam per nos turbatas aut seductas fuisse, vel etiam nunc turbari aut seduci: nisi quis seductionem dicere velit eam doctrinæ & œconomiæ Ecclesiasticæ rationem, quæ in Tigurina Ecclesia obseruari solet: quæ in hunc vsque diem rectè instituta & gubernata testimonium fidei suæ luculen-

um habet in ipsius Dei & fidelium IESV CHRISTI *conspectu. Neq; tamen inficias iero, potuisse me ab ista commemoratione abstinere propter sinistras aduersariæ partis suspiciones atque peruersa iudicia, quibus aliqui omnia nostra cauillari solent. Sed ad ista cum Paulo Apostolo respondemus: Si insipientes facti sumus, aduersarius noster coëgit nos, vt cum Veritate in Domino gloriemur, 2. Cor. 11. & 12.*

Disputatio Bernensis.

Imò cum Deo & Veritate amplius dico, plures alios tam in nostra Heluetia quàm exteris gentibus Tigurinæ Ecclesiæ exemplum magno animo & forti secutos fuisse, vt ipsi quoque Dei verbum amplexi Ecclesiarum suarum reformationem instituerent: cùm in illa relucentem Dei gratiam & admirabilem in omni aduersorum genere superando constantiam, felicem denique Euangelij progressum, & præclarum disciplinæ morum atq; pietatis studium viderent.

Quis enim ignorat immortali laude dignum potentissimæ Bernensium ciuitatis facinus, qui sub finem anni à nato Christo M. D. XXVII. *disputationem liberam, catholicam & Christianam indixerunt, quæ mox sequenti anno magna cũ grauitate & ordine decenti instituta successum & euentum habuit tam pio instituto dignissimum? Hanc enim confestim secuta fuit Ecclesiarum, quæ per totum agrum Bernensem plurimæ sunt omni-*

um

rum reformatio: In qua illæ in hunc vsque diem per Dei gratiam non absque laude & gloria constanter perseuerant.

Interfuit illi disputationi inter alios Ecclesiarum Sueuiæ ministros, vir eruditus & fidelis IESV CHRISTI minister, Conradus Somius, Ecclesiastes Vlmensis, qui in publico disputantium atque auditorum consensu inter alia dicebat: Non eo animo huc veni, vt Propositiones, de quibus hic disputatur, oppugnem. Nam has verè Christianas inque Dei verbo tam bene fundatas esse agnosco, vt neque dæmones neque homines quicquam aduersus eas poßint. Sed & ipse eas iampridem Ecclesiæ Christi, quæ Vlmæ est, exposui: & imprimis quidẽ eam quæ ordine quarta est: quæ corpus & sanguinem Christi in pane & vino Cœnæ substantialiter percipi negat. Extant hæc Somij verba in Actis disputationis fol. 191. Idem Somius eo tempore concionem Bernæ publicam habuit: quod ipsum Lindaugiensis Ecclesiæ minister Thomas Gasserius fecit. Nec multo post Senatus Vlmensis doctrina & pietate præstantes viros, D. Ioannem Oecolampadium Basiliensem, & D. Ambrosium Blarerum Constantiensẽ Ecclesiasten, euocauit, vt eorũ cõsilio atq; opera in suæ Ecclesiæ reformatione vteretur. Conradus Somius Ecclesiastes Vlmensis.

Sequẽti anno, qui à nato Christo M.D.XXIX. numerabatur, Illustrißimus Hessorum Princeps Philippus (cuius laus in Ecclesia Christi, vtpote Colloquiũ Marpurgense.

principis fortissimi et vero sanctéq; gloriæ Dei zelo ardentis, æternum florebit) Marpurgi conuentū indixit: ad quē D. Lutherus cum Philippo Melanchtone, D. Oecolampadius item cū Huldrycho Zuinglio, aliique nonnulli vtriusque partis viri docti et eruditi conuenerunt. Volebat enim Illustrissimus Princeps experiri, num qua ratione odiosum illud & infelix de Cœna Domini mystica certamen è medio tolli, & concordia siue consensio Christiana fieri atque constitui posset. Neque omni fructu caruit sanctus iste optimi piissimiq; Principis conatus. Nam ex vtriusque partis doctorum consensu scripti & publicati sunt, qui etiamnum hodie extāt & in omnium manibus versantur, articuli, quibus tota veræ religionis summa continetur.

De cœna Domini. *Quoad verò Cœnam Domini, in hanc formam consenserunt: Decimo quinto, de Cœna Domini nostri* IESV CHRISTI *omnes credimus & docemus, eam sub vtraque specie secundùm Christi institutionem administrari debere: Missam item non esse eiusmodi opus, quo quis alijs, vel viuentibus vel hac vita defunctis, gratiam mereatur. Adhæc Sacramentum altaris, veri corporis & sanguinis Christi Sacramentum, spiritualem verò corporis & sanguinis Christi perceptionem omnibus Christianis quā maximè necessariā esse. Sentimus item Sacramenti istius vsum esse, quòd sicuti Verbum à Deo omnipotente datum & destinatum est,*

vt

vt infirmæ conscientiæ ad fidem atque charitatem permoueantur per Spiritum Sanctum.

Etsi verò de Christi corpore & sanguine, num hæc corporaliter in pane & vino existant, inter nos conuenire non potuit, debet tamen vtraq; pars alteri Christianæ dilectionis officia præstare, quatenus hoc salua vniuscuiusque conscientia fieri potest. Orent denique omnes Deum seriò, vt nos vtrinque suo Spiritu in vera sententia confirmet. Amē. De modo præsentiæ Christi in Cœna.

Articulum autem de Christo Domino & duabus eius in vna indiuidua persona distinctis naturis ijdem his verbis conceperunt: Secūdò credimus, quòd non Pater, non item Spiritus Sanctus, sed Filius Dei Patris, Deus verus & naturalis, homo factus sit, operatione Spiritus Sancti, absque virilis seminis admixtione, natus ex intemerata Virgine Maria corporaliter, et perfectus quidē homo quo ad corpus et animā, sicuti alij homines, absq; peccato tamen. Tertiò, quòd hic ipse Dei & Mariæ Filius, indiuidua persona, IESVS CHRISTVS, pro nobis crucifixus, mortuus & sepultus, ex mortuis resurrexerit, in cœlos ascenderit, sedeat denique ad Dexteram Dei, omnium creaturarum Dominus, venturus ad iudicandum viuos & mortuos. De Christo Domino.

Et ista quidem de Domino IESV CHRISTO confeßio tunc vtrique parti sufficiebat, sicuti eadem etiamnum hodie sufficit. Nos verò hanc cōsensionem atque confeßionem, quæ tunc ab vtriusq; Tigurini consensionē Marpurgi factam retinent.

partis Theologis conscripta fuit, adhuc constanter retinemus, & cum omnibus tàm Ecclesijs quàm ministris, pacem colimus, qui eandem nobiscũ profitentur: Speramus item Ecclesias orthodoxas & earundem ministros, quotquot honestatis studiosi & pacis atq; pietatis amantes sunt, in eadem consensione pacem & concordiam nobiscum similiter colere, neq; quorundam inquietorũ rixatorum & seditiosorũ blateronum garrulitate atq; calumnijs moueri, qui nos immerẽtes damnant, & vbiq; gentiũ diffamãt. Vident enim perspicuè viri boni & cordati, præcipua nostræ doctrinæ et ecclesiæ dogmata in Marpurgensi Cõuentu, neq; falsi damnata neq; reiecta fuisse.

Comitia Augustana 1530.

Anno Domini M.D.XXX. cùm Imperij Comitia celeberrima Augustæ haberet Carolus V. doctrina nostra, quam adhuc hodie inuiolatam retinemus atq; profitemur, et quidem ea illius pars, quæ nostrã de Cœna Domini, de imaginibus item aut simulachris alijsq; rebus (quæ eo tempore nõnullis acerbæ nimis, adeoq; intolerabiles videbantur) sententiam tradit, in tanto honore atq; pretio erat, vt quatuor illustres Imperij ciuitates, Argentinã, Constantiã, Memmingam & Lindaugiam, non puderet eã publicè corã Carolo Cæsare & totius Imperij Conuentu profiteri, eandemq; cùm à Cæsareæ maiestatis doctoribus oppugnaretur, animo constanti defendere. In defensione autẽ sua ipsi quoq; D. August. verbis vtebantur, quæ in epistola ad Dardanũ leguntur: quibus

quibus nostri quoq; præceptores suam sententiã tutati sunt aduersus eos, qui ipsos reprehẽsione dignos putabãt, quòd corpus Christi vbiq; esse, & eiusdem corporalem in Cœna præsentiam negarent. Quòd si verò doctrina nostra tunc temporis Christiana & digna visa fuit, quam homines non obscuri, & qui non exiguam eruditionis & pietatis existimationẽ sustinebant, publicè & non sine periculo profiterentur, quæ obsecro ratio Iacobum Andreæ mouet, vt tam illam quàm nos contumeliosissimè proscindat, qui in hunc vsq; diem nulla ex parte mutati, sed ijdem omnino sumus, qui tunc eramus? Si deniq; ciuitatibus illis tunc gloriosa fuit illius professio, eadem profectò hodie nobis contumeliosa esse non poterit.

Non possum prætereà neque debeo hîc præterire, quod postea sub finem anni M. D. XXXIIII. *accidit. Cùm enim Ecclesiarum Sueuicarum Ministri mense Decembri Constantiam conuenissent, nostram de Cœna Domini doctrinam, ea forma & modo, quo in Bernensi disputatione recepta atque approbata fuit, & qualem adhuc hodie retinemus, conscriptam eò ad illos misimus, nosque ad concordiam & consensionem paratos & propensos esse protestati sumus, si qua eius ineundæ ratio commoda & pia inueniri possit. Quid illi responderint, ex illorũ literis potius quàm ex me Lectores intelligãt volo, in quibus inter alia sic scripserunt: Et sanè* **Sueui ministri Tigurinis consentiunt.**

non potuimus non vehementer istam in hac causa vestram Confeßionem probare: Quam vtinam Lutherus & Melanchton, perferente eam Bucero nostro, ita probent, ac nos illam nulla bona conscientia possumus improbare, &c. Datæ fuerunt illæ literæ Constantiæ 21. Decemb. Anno nati Christi M. D. XXXIIII. *Subscripserunt illis*

Augustenses.	*Vlmenses.*
Memmingenses,	*Constantienses.*
Campidonenses.	*Isnenses.*
Lindouienses.	*Bibracenses absentes, scripto tamen præsentes.*

Constat ergo pijßimos istos & pacis ecclesiasticæ amantißimos IESV CHRISTI *seruos, quorum animæ nunc cum Christo in cœlis viuunt, de nobis & Ecclesijs nostris (quarum eadem omnino forma est hodie, quæ tunc erat) longè aliter iudicauisse, quàm aduersarius ille noster faciat, qui effreni linguæ, qua pollet, petulantia, immerentes proscindere ac laniare non veretur. Speramus autem apud honestißimos quosque & publicæ pacis studiosos plus authoritatis & ponderis habitura esse tot pijßimorum seruorum Christi testimonia, quàm impudentes atque odij plenas sycophantæ istius calumnias atq; conuitia.*

D. Huld. Dux Vuirtenbergēsis. *Sed & Illustrißimi & sanctæ memoriæ Principis D. Huldrychi Vuirtembergensis Ducis, quem verbi Dei amantißimum & eiusdem fidelißimũ*

propu-

propugnatorē fuisse constat, longè alia fuit de Huldrycho Zuinglio sententia, quàm nunc Iacobi Andreæ sit: cuius tanta tamque dira est erga virum de Ecclesia & communi religionis causa optimè meritum rabies, vt iam olim hac vita defunctum instar Caspij canis dentibus laniaturus esse videatur, si qua huius facultas daretur. At Illustrissimus Princeps Huldrychus illum amore suo dignum iudicauit, & in pretio habuit, neq; talē iudicauit, qualem fuisse Thersites ille Tubingensis falsò proclamat. Neq; hic quicquam fingimus, sed si opus sit, huius rei testes proferre possumus ipsius Principis manu scriptas literas non paucas, quas gratiæ & fauoris plenas Cassellis & Marpurgo ad illum dedit. Sunt nobis alia quoque argumenta, quibus demonstrari poterat, eundem Principem de doctrina & Ecclesijs nostris admodum honorificè sensisse, easque suo fauore dignas iudicauisse. Sed vt multa omittamus, hoc certè nemo quantumuis impudens negare poterit, illum, cùm Ecclesiarum suæ ditionis reformationē facere instituisset, in hoc opere sanctißimo fratris nostri dilectißimi D. Ambrosij Blareri, opera atq; cōsilio vsum fuisse, & ex nostris regionibus euocatos non paucos Verbi præcones Ecclesijs suis præfecisse, quos & fide et liberalitate tāto Principe dignis protexit atq; aluit; quod equidē ille nunquā facturus erat, si ipsi is erga nostrā doctrinam atq; Ecclesiā animus fuisset, qui calumniatori nostro est, qui hoc

vnum agit, vt nos omnibus exosos & infames reddat. Quòd si verò hic nobis alios Principes obijciat, qui secus erga nos affecti sint, non veremur de eorum quoque æquitate nobis polliceri, illos quoque nobis non tam malè propitios futuros esse, si qui illis adsunt, causam nostram eis absque omni odij affectu syncerè & qualis reuera est, exponerent.

Interim & illud non diffitentes agnoscimus, Illustrißimum Principem etiam recepisse Confeßionem Augustanam, ipsumq́ue (cuius rei etiam Sleydanus in suis meminit Commentarijs) fouisse Brentium. Cæterum ideo non sordebant Principi pijßimo nostræ ecclesiæ, nec nostram doctrinam aspernando, vel damnabat iniquius, vel odiosius persequebatur, aut eam à suis oppugnari patiebatur, sed perseuerando in studio sancto & voluntate erga nos beneuola, dum viueret nunquam nobis fauere desijt.

Brentius.

Quid quod ipse Brentius eo tempore nobis quoque æquior erat, etiam cùm ante annos aliquot, Commentarios illos meos & in Matthæi & in Ioannis Euangelium euulgassem, imò ipsi D. Luthero in controuersia Cœnæ Dominicæ causa à nobis fuerat responsum. Etenim benignitate amoreq́ue pleniores literas Brencius scribere non potuisset, quam quas eo tempore ad me per generum meum Do-

um Dominum Iosiam Simlerum misit. Libentius quidem ab his recensendis abstinerem, ne quis id gloriationi vanæ tribuat, nisi me causæ nostræ defensio, & ipsa nostri aduersarij improbitas, ad hæc & ad alia eius generis exponēda adigeret. Initium earum literarum est huiusmodi: Salutem in Christo, Clarißime vir, tuæ literæ fuerunt mihi multis nominibus gratæ, & quod Reuerendum Dominum Vergerium coràm complectendum exhibuerint, & à te (quem propter studium iuuandæ Ecclesiæ, quo te ardere monumenta illa tua testificantur, plurimum diligo) scriptæ sint, & occasionem contrahendæ cum genero tuo Iosia Simlero iuuene docto dederint. Et post aliqua de Vergerio scripta, concludit in hæc verba epistolam: Quæso autem te & collegas tuos, vt nos & ecclesias nostras Domino precibus commendetis. Quod officium nos vicißim vobis quoque præstamus. Bene ac feliciter Vale. Tubingæ sexto Iunij, anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio.

Ex quibus sanè liquidò claret Brentium illo adhuc tempore nondum eo in nos nostraque affectum fuisse animo, quo efferbuit posteà, etiam non prouocatus à nobis. Vnde vehementer admirabar, eum qui se mihi vsq; adeò humanum exhibuerat, & quē ego vt amicum singularem colebam, tam repente

factum esse hostem, hostiliterque me & mea scripta impetere, dum anno domini M.D.LX. *stilum suum in me stringeret. Sed hæc alterius sunt argumenti. Redeo itaque ad cœptam nostrā expositionē.*

Georgius Comes Vuirtenbergensis.

Illustrissimus certè Princeps Georgius, Vuirtēbergi & Montisbelligardi Comes, Huldrychi Ducis frater, quem sui sæculi principum Christianorū coronam & decus iure dixeris, Ecclesiam Tigurinam & nos, qui eius ministri sumus, ad extremū vsque suæ vitæ diē amore & gratia singulari prosecutus est: quod verè à nobis dici, eiusdem plurimis ad nos scriptis literis demonstrari poterat. Idem ille sub annum Christi M.D.XXXV. *misso ad Ecclesiam nostram legato, D. Nicolao Rhegio, ministrū Verbi postulabat, cuius opera & labore Richenuillanæ ditionis in Alsatia Ecclesiæ reformarentur & constituerentur. Missus igitur ad eum fuit vir singulari eruditione & pietate præditus,*

D. Erasmus Fabricius.

D. Erasmus Fabritius, noster in ministerio collega, qui annis circiter tribus & dimidio, illius loci Ecclesijs & eius clementiæ seruiuit. Successit ei

Mat. Erbius.

ad nos reuerso veteranus Christi seruus, D. Matthias Erbius, qui ijsdem Ecclesijs summa fide & studio indefesso præfuit, donec è viuis sublato Georgio Principe, loco cedere iussus est. Idem tamen in nostræ fidei confeßione ad vitæ suæ finem vsq; Rappersuillæ constanter perseuerauit.

Quod

Quod autem de Illustriss. Principe Georgio diximus, hoc ipsum aliquot celebrium ciuitatum Ecclesiæ factitarunt, quæ ipsæ etiam ex Tigurina Ecclesia Euangelij præcones ad se mitti voluerunt: quod equidem nunquam facturi fuissent homines honesti & pij, si ea apud omnes fuisset de nostra Ecclesia eiusque ministris existimatio, qualem Iacobus Andreæ nobis obtrudere conatur, dũ nos seductores & impostores nocentissimos esse clamitat, quos pij quique fugere & vitare debeant. At quæ ratio iubet vt plus fidei mereantur ementitæ & impudentes vanissimi quadruplatoris calumniæ, quàm tot tantorumque virorum illustrium & Ecclesiarum celebrium grauissima testimonia? Ecclesiæ quædam à Tigurinis ministros postulant.

Nam vt in cœptæ narrationis serie pergamus, anno Christi nati M.D.XLV. *amplissimus celeberrimæ ciuitatis Augustanæ Vindelicorum Senatus ab Ecclesia Tigurina doctorem postulauit. Itaq; illuc missus est vir eximiæ eruditionis atque pietatis D. Ioannes Hallerus, Symmystes et collega noster fidelissimus, qui illic vsq; ad finem belli Germanici in commisso sibi munere constans perstitit, donec à nostris reuocatus demum rediit: nec multò post ad amplissimi Reipub. Bernensis Senatus postulationem, nostrorumque consensu atq; decreto Bernam migrauit: quò mox etiam D. Vuolphgangus Musculus vocatus est, cuius eruditio, pietas, & in rebus agendis dexteritas apud omnes Christi Eccle-* D. Ioannes Hallerus. D. Vuolphgãgus Musculus.

ſias magna cum laude celebratur. Quam verò fidei & doctrinæ Confeſſionem vterque profeſſus ſit, & etiamnum voce & ſcriptis ſuis profiteantur, nemo eſt qui ignoret.

Georgij Comitis de Brentio iudicium.

Cæterùm vt ad Illuſtriſ. Principem Georgium Wirtenbergi Comitem redeamus, ſolebat is, cum finito iam bello Germanico, propter doctrinam Interimiſticam Eccleſiæ ferè omnes periclitarentur, frequenter Tigurum diuertere. Tunc verò nobiſcum ſæpius non minus libere & familiariter quàm piè & erudite de religione conferebat: quando nos in illo ſemper pium & vnanimem nobiſcum in ſimplici Veritatis doctrina conſenſum apertè depræhendebamus. Cùm autē āno Domini M.D.XLIX. *ad nos veniſſet, memini eum væhementer de Ioanne Brentio conqueſtum fuiſſe. Nam non abſque cauſa metuo (dicebat) ne in Ducatū Wirtenbergi eum confuſionem aliquam inuehat, & homines piè affectos à fidei ſimplicitate abducat. Et cum iſtorū cōmemoratione (qui eius in pietate & fide Chriſti feruor erat) grauiter commoueretur, addebat: Nemo quantùmuis doctus aut eruditus, nos ex ſtatione quam modò tenemus, dimouebit: Speramus item, Deum omnipotentem nos corroboraturum, vt in Veritate agnita in finem vſque perſeueremus, prohibiturum denique, ne nouis hominum commentis ſeducamur. Et hæc quidem ex eius ore nonnulli noſtrū, qui adhuc ſuperſtites viuūt, coràm audiuêre.*

Quid

Quid multis? tanta fuit Illustrißimi Principis Georgij in doctrina fidei & religionis, quam nos profitemur, constantia, vt Bucero concordiæ causam inter Lutherum & nos, qui in Heluetia Christum prædicamus, sedulò quidem agente, non autem absque graui multorum piorum suspicione, qui verebantur, ne is nimio pacis & concordiæ studio abreptus in Lutheri partes nimiùm inclinaret, & causam in se claram atque perspicuam nouis dicendi formulis implicaret, siue obscuriorem redderet, adeoque propriam & prius abs se traditam doctrinam non pristina synceritate atque constantia prædicaret: ille grauibus literis eum seriò hortaretur, vt sui probè memor caueret, ne Veritatē pro mundi captu astutius hinc inde flectendo, inconstantiæ notam sibijpsi inureret. Hoc enim non posse absque graui præiudicio fieri: ipsum verò hæc agendo plurimùm derogaturum suæ existimationi: ex quo non poßit non grauis remora Dei verbo obijci cum multorum scandalo, quod tandem multis perditionem pariat. Nam ipsum, si ita pergat, sibijpsi contradicturum, qui (vt omnibus abunde constet) olim aliter scripserit & locutus sit. Exemplum literarum penes nos habemus, quæ datæ fuerunt Richenuillæ 23. Feb. anno 1545.

Georg. Comes Bucerum admonet.

Poteram huius generis multa nō minus opportunè quàm verè adducere, quæ nunc breuitatis causa prætermitto. Omnium verò, quæ hucusque dixi, hic

Finis eorū, quæ hucusque dicta sunt.

mihi finis atque scopus propositus est, vt impudentem Iacobi Andreæ calumniam arguerem, qua nos in Ecclesias, ab ipso & suis complicibus bene & recte plantatas, insidiosè & subdolè subrepsisse dicit, vt eas nostra doctrina euerteremus, & à regia Veritatis via abduceremus. Etenim abunde hactenus demonstratum est, nos iam inde ab initio reformationis Tigurinæ rectà per viam regiam incessisse, & per eandem eos quoque, qui nostræ fidei crediti sunt, duxisse, nec quenquam per nos fuisse seductũ. Fuit enim Ecclesia Tigurina mox ab ipso principio reformationis (vt quod modò dixi repetam) Ecclesia verè Christiana & orthodoxa, & talem esse non solùm vulgus Christianorum hominum, sed principes quoque viri & qui in vrbibus celeberrimis magistratus gerebant, agnouerunt. Cùm denique quæ apud nos est Ecclesia inter superioris Germaniæ Ecclesias prima omnium verè reformata & in CHRISTO IESV per syncerám Euangelij prædicationem ædificata sit, multisq; alijs reformandi occasionem præbuerit, multas item ipsa plantarit, & insuper in veræ fidei simplicitate pacificè & quietè absq; rixis et contentionibus in hunc vsq; diem sibijpsi semper constans perseuerauerit, iurè quidem & non absq; graui causa de aduersariorum improbitate nos querimur, qui doctrina sua Vbiquaria alijsque huic cohærentibus nouis & antehac inauditis disputationum portentis in bene

constitutas

constitutas Ecclesias irruptione facta in his dissensiones & turbas atq; lites nunquam finiendas excitarunt: et ne nunc quidem cessant, quò minus litem ex lite serant, adeoq́ palam minantur, se nequaquã passuros esse, vt vel in posterum quiescere & pacis beneficio frui possimus. Enimuero hac sola causa inflammati fidelibus Ecclesiarum ministris, qui simplici & perspicua Veritatis doctrina suæ curæ commissos ad seriam in vera fide resipiscentiã instituũt simul & sedulò hortantur, & eosdem correptionẽ iusta & pijs consolationibus confirmant, in hoc nõ minus sancto quàm vtili & necessario labore occupatis negotium faciunt, dum famosis & petulantibus scriptis atque infreni conuitiandi libidine illorum studia remorantur, & insuper immerentes pro impijs & blasphemis horribilium dogmatum authoribus traducunt atque diffamant. Iudicent ergo pij omnes, quid de hoc nostri aduersarij instituto sentiendum sit, quid item eius malitiosæ garrulitati & petulanti maledicentiæ tribui debeat. Deus equidem, qui iustus & verus iudex est, suô tempore ei procul dubio retribuet, quemadmodum aliorum eius similium petulantiam iampridem vltus est.

Etenim huc imprimis pertinet, quòd improbus ille quadruplator, vt doctrinam simul & Ecclesiam nostram vnà nobiscum amplius grauet, nosque vt atrocissimarum blasphemiarum dissemina- Tigurini ministri non sunt Ariani.

tores, adeoq́; vt manifestos IESV CHRISTI hostes, quos boni omnes detestari & fugere debeant, omnibus inuisos & exosos reddat, nos Arianos esse calumniatur, qui cum Ario hæretico Domini nostri IESV CHRISTI Deitatem impiè negemus. Quo equidem loco doctrinam nostrã mirabili sophistica peruertit, & ex ea consequentias non minus falsas quã impudentes fœdissima & prorsus intolerabili verborum vanissimorum colluuione contexit, totus nimirum in hoc vnum intentus, vt tam nobisipsis quàm alijs inuitis atq; reluctantibus, nos Arianos esse persuadeat. Et ne quid prætermittat, Lutheri vaticinium adducit, qui olim prædixerit futurũ, vt quidam de vera & æterna Domini nostri IESV CHRISTI Deitate disputare, imò hanc negare quoq; incipiant. Atq; prophetiam istã multoties repetitam inculcat, quasi nouum quid & prius inauditum contineat. Ideoque ea plus quàm insolenter superbit & exultat. Atqui minimè opus erat hoc tam multis agere contra nos, qui prophetiam hac multo vetustiorem fideque digniorem extare iam pridem nouimus, quam D. Apostolus & Euangelista Ioannes in epistola sua Catholica prodidit: Venturos nimirũ, qui IESVM CHRISTVM, quoad eius Deitatem & Humanitatem abnegent. Est autem iampridem impleta hæc prophetia, & ab impijs quotidie amplius impletur.

Vaticiniũ Lutheri.

Quòd

Arriani ex Ecclesia egressi.

Quòd autem aduersarius noster addit, nostro sæculo iam exortos esse Zuinglianæ sectæ doctores & non postremos erroris Sacramentarij propugnatores, qui palàm Ariani facti sint: Ad hoc nos ita respondemus: Si ista de quibusdam dicit, qui extra Tigurinam Ecclesiã, vel etiam extra Heluetiæ nostræ fines degunt, et in Sacramenti quidem articulo idẽ nobiscum sentiunt atque docent, insuper verò ad Arianismum defecerunt, licebit nobis opinor cum Ioanne Apostolo dicere: E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis: Nam si fuissent ex nobis, permãsissent vtiq; nobiscum &c. Quòd si autem de nobis qui Tigurinæ Ecclesiæ ministri sumus, istud scribit Iacobus Andreas, nosq; Arianos factos esse ait: nos illum ex eius spiritus suggestione istud dicere respondemus, quem ipse nobis insinuare satagit, dũ folia sui libri propè omnia illius mentione non tam aspergit & implet, quàm fœdissimè commaculat, simulq; ore suo impuro & impudenti Mendacij spiritum nunquam non versat & euomit. vt verissimè in ipso impleatur illud IESV CHRISTI *authoritate confirmatũ prouerbium: Ex abundantia cordis os loquitur. Nam nõ minus impudens quã falsum spiritus mẽdacij cõmentum est, quo nos, qui Tigurinæ Ecclesiæ ministri sumus, Arianos factos esse mentitur. Itaq; vel ex hoc vno indicio, ceu flamma infernali per Satanam omnis inuidiæ, maledicentiæ & contentionis authore accensa, & ex eius faucibus*

erumpente, abunde constat cordatis omnibus, quis ille spiritus sit, quo ille agitatus, hoc tam atroci & non minus mendacissimo conuitio chartas suas conspurcauit.

Sed prodeat velim os illud impudens, & si potest, vel vnum aliquem monstret, qui inter Tigurinæ Ecclesiæ ministros vel vnquam fuerit Arianus, vel aliquando factus sit, vel Arianicum quid etiamnum sentiat, loquatur aut spiret. Aut ostendat saltem, in Tigurina Ecclesia vnquam exteris hominibus locum datum fuisse, qui aliquid huius vel mussitarint. Bernardinum quidem Ochinum, hominem Italum, hac labe infectum fuisse non negamus, sed virus istud toto illo tempore, quo inter nos vixit, ita cælauit, vt eo demum alijs de causis relegato resciuerimus, quale monstrum clanculò aluisset. Quicunque verò alij vel disputandi modò causa aliquid huius proponere ausi sunt, hos à nobis illico repressos & ab errore, si quo tenebantur, reuocatos fuisse fatebuntur, quotquot vnquam inter nos versati sunt.

De Mich. Serueto Geneuæ exusto.

Cæterùm si venerabilis Doctor Præpositus Arianos tantopere detestatur (sicuti reuera cunctis hominibus Christianis abominationi esse debent) quæ obsecro illum causa mouet, vt præcipui Arianæ hæresis instauratoris, Michaelis Serueti Hispani, vicem tam acerbè doleat, qui Geneuæ ex legitimo amplissimi Senatus decreto, secundùm Leges di-

ninas

uinas & Imperiales flammis exustus, dignas suæ impietatis & blasphemiarum atrocissimarum pœnas luit? Atqui aliis medijs siue rationibus (ait venerabilis Doctor) cum homine agi poterat. Væhementer ergo peccatum est (vt audio) à Senatu Geneuensi, qui in causa tam grauis momenti non vsus sit tanti, si Dijs placet, Doctoris consilio. Vah tantámne esse posse in excæcato & exacerbato hominis istius animo odij & inuidiæ rabiem? Etenim non verebor dicere, quòd quocunque alio in loco secundùm diuini & Cæsarei iuris normam de Serueto supplicium sumptum fuisset, factum illud aduersarius hic noster minimè improbaturus erat. At si quid inter nos fit, etiamsi hoc iustissimè & rectissimè fiat, illud tamen æmuli nostri obtrectare, calumniari, & indignissimis modis traducere non verentur. Porrò dum hoc agendo nobis incommodare student, seipsos magis quàm nos lædunt. Ex ipsorũ enim dictis & factis cordati & prudentes homines facilè intelligũt, qui nam & quales illi reuera sint. Oramus autem Deum patrem miserationum, vt quo nunc agitantur spiritum amarulentiæ & inuidiæ plenum, in spiritum mansuetudinis & benignitatis commutare dignetur. Amen. Ironia.

Anno in carne nati æterni filij Dei M.D.XXX colloquio interfui in quo Zuinglius priuatim cum pijssimo sanctissimoq; viro, D. Ioanne Oecolampadio, cum D. Capitone item & Bucero Zuinglij de Serueto iudicium.

consultabat, quibus rationibus sanior Euangelicæ veritatis doctrina inter tot tantasq́; aduersariæ partis insidias & crudeles conatus propagari atque defendi posset. Querebatur tunc inter alia Oecolampadius, Basileæ hominem Hispanum esse, feroci & pertinaci ingenio præditum, Michaelem Seruetum nomine, qui quæstionibus impijs & detestatione dignis ipsi molestiam perpetuò exhiberet, adeoque Arianus esset. Addebat præterea, se vereri, ne apud se solùm priuatim sub disputandi & discendi prætextu hæc opinionum pessimarum portenta proponeret, sed fortassis inter alios quoque disseminaret. Quibus auditis Zuinglius mox respondit: Hic sanè, Oecolampadi frater, vigilantia multa & acri studio opus erit. Etenim falsa hæc ferocis & improbi Hispani commenta Christianam, quam tenemus, religionem in vniuersum abolerent. Nisi enim Christus Deus verus & æternus sit, ne Seruator quidem noster esse poterit. Eadem igitur opera falsi argueretur, quicquid Ecclesiæ Dei veteres Prophetæ & Apostoli tradiderunt, quorum Veritas tam nobis perspecta est, vt de ea dubitare nefas sit. Prohibeat oro Deus, nosque tueatur, ne tam horribilis abominatio vnquam inter nos locum inueniat. Tu verò mi frater in tempore huic malo occurrito, & vt hominem istum reprimas, omne studium atq; diligentiam adhibe: argumenta illius falsa soluito, & vide num rationibus

bus

bus solidis & perspicuis eum conuertere & Christo lucrifacere poßis. Ad quæ Oecolampadius respondebat: Atqui iampridem hoc conatus sum: sed tanta est in illo homine ferocia & confidentia, tam infrenis rixandi libido, vt nihil apud eum proficias. Rursus ergo Zuinglius: Qualiscunque verò ille sit, res ista Ecclesiæ Dei intolerabilis est: quamobrem vide tu, quacunque ratione poteris, ne horribiles istæ blasphemiæ licentius erumpant cum totius religionis Christianæ præiudicio & contumelia.

Cæterùm non multò post Seruetus iste, quem rectius Perdetum aut Perditorem siue Perditum dixeris, Basilea disceßit, & libros suos septem de erroribus Trinitatis alibi typis excudendos curauit, anno Domini nimirum M. D. XXXI. *Sed non defuit honori suo Christus Dominus, & impiæ operæ homini impio & blasphemo locatæ mercedem typographo rependit, vt morte repentina horribiliter occumberet. Seruetus verò iam induratus in sua hæresi, aliò se contulit, & tandem in Aphricam, quam hodie Barbariam vocant, traiecit, vbi inter Turcas agens, cum horum doctoribus de doctrina & religione contulit, neque eò contentus, in Iudæorum quoque scholis sese volutauit: cumque blasphemis hisce sordibus plenè imbutus esset, totusque ex illis fœteret, ex longa & diuturna peregrinatione reuersus sub annum Christi*

Serueti studia abominanda.

nati M. D. LIII. in Gallia consedit: vbi libros suos quinq; sub titulo Restitutionis Christianismi, vnà cum alijs quibusdam huic coniunctis libellis, horribilium blasphemiarum plenis publicauit. Per istos verò libros, ceu canales & tubos quosdam, omnes impietatis & abominationum sordes, quas partim apud Turcas & Iudæos imbiberat, partim ex mali dæmonis suggestione intra proprij cerebri phantasiam conceperat, aduersus orthodoxam fidei Christianæ doctrinam in vulgus Christianorum effundere conabatur.

Seruetus Geneuam uenit.

Postquam igitur infelix homo, vel potius hominis portentum, per annos circiter viginti quinque diabolicis studijs addictus innumerabiles animas non absque salutis æternæ periculo miserè deceptas seduxisset, tandem (haud dubiè sic volente Deo) Geneuam venit, vbi iamdudum meritas impietatis pœnas daret. Ibi enim agnitus, & legitimè accusatus, atque in carcerem abductus est. Nihil tamen de illo amplißimus eius reipub. Senatus temere aut præcipiti iudicio statuit: neq; etiam captiuum inhumanius tractauit: sed ei de causa sua cogitandi & deliberandi tempus sufficiens conceßit, & interea Ecclesiæ ministros adhibuit, qui colloquijs & disputationibus cum eo institutis eum ad saniorem mentem reducere studebãt. Cæterùm indurata iam pridem cordis impij & blasphemi pertinacia, animus item hominis ferox & insolens, omnem, quæ

ei ad-

ei adhibebatur, institutionem & doctrinam, omnē redargutionem, omne denique salutis consilium respuebat. Itaque in blasphemis suis opinionibus & horribili impietatis contumacia, qua propè omnes, qui intra mille annorum spatium fuerunt, hæreticos longè superauit, incurabilis perseuerabat. Nec solùm IESVM CHRISTVM æternum verumq; Dei Filium esse negauit, sed insuper sacrosanctum Trinitatis adorandæ mysterium vnà cum baptismo & vniuersis alijs Christianæ & orthodoxæ fidei exercitijs, quantùm in ipso erat, contumeliosissimè proscidit, conspuit, conculcauit. Quòd si verò quis inter colloquendum aut disputandum illi infallibile Veritatis diuinæ verbum opponeret, non aliud ille respondebat, quàm quod scurræ impudentes solent: MENTIRIS, MENTIRIS. Quem infelicis hominis morem noster aduersarius, Dominus Præpositus, probè imitatur, dum mendacij spiritum itidem crepat, hunc quasi gladium Goliathi in nos subinde stringit & vibrat, eodem immanis belluæ instar vnguium loco vtitur, quibus nos dilaniet, illum denique impudenter in nos expuit, & procul dubio ad nostri nominis contumeliam eum nobis etiam inuitis & reluctantibus in sinum ingereret, vel quacunque ratione affricaret, siquidem ipse illius opera & ministerio, quo hactenus tam familiariter vsus est, posset aliquandiu carere.

Serueti pertinacia.

Seruetus exustus.

Sed omisso nunc eo, in Serueti historia pergamus: de quo cùm nulla conuersionis & emendationis spes reliqua esset, infelix & impurus atque impius diuinæ maiestatis prophanator, à pijßimo Geneuensis Reipub. Senatu, causa tota diligenter & matura cum deliberatione expensa, secundùm diuinas & Cæsareas leges ignis supplicio adiudicatus dignas obstinatæ & incurabilis suæ impietatis pœnas luit. Et eiusmodi quidem hominis, tam impij nimirum & execrabilis omnium sacrorum conculcatoris, sors siue obitus Domino nostro Doctori Præposito commiseratione dignus putatur, & vt nobis vel hac de causa aliquam inuidiam conciliet, humanius & mitius cum illo agi debuisse scribit. Quid verò illum facturum putamus, aut quàm diris & indignis modis Seruetum cum suo Arianismo iam ille nobis exprobraret, si eum lenius aut indulgentius tractauissemus?

August. de puniendis hæreticis sententia.

Quæ verò ratio aduersarium illum nostrum mouerit, vehementer miror, vt hoc loco Diui Augustini testimonium proferret, cùm non ignoret, quænam initio in Donatistarum causa Augustini sententia fuerit, quam multa & longa experientia edoctus posteà mutauit, vt non veritus sit pronuntiare, Ecclesiam corporalibus quoque pœnis hæreticos seductores coercere debere. Etenim Tractatu in Ioannem vndecimo sic scribit: Talia facere volunt, & saltem talia pati nolunt. Semp-

Not. Ecclesiæ ait, nō ecclesiæ ministris, sed magistratus qui ecclesiæ visibile caput fuit.

ternas mortes faciunt, & temporales se perpetò conqueruntur. Item: Si passa es ò pars Donati, corporalem afflictionem ab Ecclesia Catholica, à Sara passa es Agar: Redi ad dominam tuã, &c. Sed quid facias, aut quid dicas istis hominibus, quos inuidiæ & odij affectus ita excæcauit, vel potius ita aduersus nos exacerbauit, vt quantumuis iustam bonamque causam agamus, ea tamen illis iniustissima & iniquissima esse iudicetur. Semper ergo inueniunt, quod Lamiarum instar oculis suis emissitijs malitiosè notent, quodque in alienum sensum iniquè detortum dente Theonino arrodant. Quia ergo ita erga nos affecti sunt, eos ad illorum iudicium remittimus, quorum existimationem atque sententiam de hac re non ita facilè poterunt contemnere: nimirum ad Luneburgensium Ecclesiarum pastores, quorum Superintendens, D. Vrbanus Rhegius, Cellæ Saxonum circa annum Domini millesimum quingentesimum trigesimum octauũ, scriptum publicum euulgauit, quo quæstio ista non indiligenti consideratione ventilatur atque expenditur: Num videlicet magistratui Christiano liceat Anabaptistas aut alios hæreticos ad fidem veram siue orthodoxam cogere, in hæresi autem contumaciter perseuerantes gladio punire? Id vero licere & iustum esse, imò factu necessarium esse, tandem concludit.

Not. B. Hæretici nũ gladio puniẽdi.

At ne absque causa impio & blasphemo Serueto condolere videatur Iacobus Andreas, nouam calumniam contexit, qua non minus violenter quàm falsò & mendaciter de nobis scribit, ea nos arrogantia præditos esse, vt orthodoxum esse oporteat, quodcunque nos semel statuerimus, ideoque si quem hæreticum esse pronuntiemus, eum mox pro hæretico mortis supplicio mulctari. Id verò (vt vno verbo rem expediam) improbè & malitiosè ab eo confictũ & illius spiritus fœtus est, quem ille nobis subinde exprobrat. Nec minoris impudentiæ commentum est, quòd nos, si quando rerum potiremur, cædibus indignis & sanguine in Dei Ecclesia grassaturos scribit, & quidem Lutheranos tunc primos fore, in quos sæuiremus. Etenim vix aliquem inueniri puto, qui ignoret, quanta sit per Dei gratiam eorũ principum atque magistratuum potentia, quàm magnæ item eorum vires, qui nostrarum Ecclesiarum Confeßioni sese iam pridem coniunxerunt. At ijdem hactenus sua illa potentia aduersus neminem insolenter, ne dicam iniustè & crudeliter, abusi sunt, neque etiam Lutheranos odio, multò minus vi & armis, persequuntur, vt potius illis in hunc vsque diem omnia detulerint Christianæ charitatis officia. Fatebuntur hoc, siquidem verum fateri velint, quotquot belli Germanici tempore ad nos confugerunt, quos & hospitio benignè excepimus, & viatico iuuimus, licet nonnullos ex ijs prius

Lutheranos nemo nostrum persequitur.

us nobis non satis propitios fuisse sciremus. De nostrae verò Confessionis principibus atque magistratibus nemo (nisi qui Iacobi Andreae exemplum secutus mendacium velit dicere) affirmare poterit, illos vel in religionis causa, vel alijs causis ciuilibus, cuiquam mortalium vnquam iniuriam siue vim fecisse, aut hodie facere. Ea enim est eorum mansuetudo atque clementia, vt tunc quoque Christianis hominibus digna iuris & aequitatis moderatione vtantur, quando in homines maleficos grauibus de causis exempla aedere coguntur: id quod illis hucusque apud optimos quosque laudem atque gloriam peperit. Quia ergo aduersarius ille noster hic quoque ad suos illos sibique admodum familiares Criminandi & Conuitandi Locos cõmunes diuertit, & pro suo more in Zuinglianos indomitum furit, quos iam non solùm mendacij, verumetiam homicidij spiritu duci atque exagitari criminatur, rursus non obscurè ostendit, se cum pudore rationem quoque omnem abstersisse. Quapropter illius infreni & insolenti temeritate impulsi non immerito cũ Dauide precamur: Libera Domine animas nostras à labio mendaci, & à lingua dolosa. Ab ijs nimirum, qui linguas suas instar gladij acuunt, et quasi arcu intenso amara verba vt sagittas eiaculantur. Quid retribuatur tibi, & quid tibi fiat ô lingua dolosa? Sagittae acutae viri fortis te petant, vnà cum prunis iuniperorum igne crepitantium. Psal. 120. & 64.

Tig. minis stri Arianorũ hostes.

Porro vt ab Arianæ hæresis crimine, quod noster iste calumniator nobis immerentibus per sophisticas suas fallacias & mendacißima stropharum suarum figmenta intentare conatur, nos amplius et verè purgemus, coram Deo, qui corda & renes omnium scrutatur & nouit & corã eius Ecclesia, cui ille nunquã non præsens adest, sanctè & ingenuè testamur, nos neque fuisse vnquam Arianos, neq; nũc tales esse, neque vnquam (Deo volente) futuros in æternum. Appellamus autem in hac causa non minus necessaria quàm iusta & bona fideles IESV CHRISTI *seruos, & imprimis quidem eos, quotquot in Polonia et Vngaria Ecclesiarum Christi ministri sunt, vt ipsi pro nobis respondeãt: quod illos non grauatim facturos, & verè testaturos speramus, nostræ Ecclesiæ doctores iam annis aliquot summa cum fide atque diligentia aduersus Arianorum Coryphæos, Blandratam, Gentilem & horum complices, laborauisse, quorum detestabiles errores atque blasphemias publicis quoq; libris contra illos æditis confutauerunt. Neque hîc nostri aduersarij exemplo aliquid fingimus, neque, vt ille solet, Thrasonico more nostros labores atque certamina iactamus. Extant enim publicè libri illi nostri, & non sine fructu in piorum manibus versantur: in quibus omnia Arianorum argumenta rationibus validißimis refutantur, & vicißim orthodoxa Christianæ Ecclesiæ de Filio Dei æterno doctri-*

na libere & absque omni verborum fuco defenditur. Quæ causa est, quòd Ariani nos in hostium siue aduersariorum suorum numero non postremos esse censent. Quæ ergo (malum) Iacobi Andreæ hominis vanissimi, impudentia siue incogitantia est, qua Arianæ hæresis spiritum nobis affricare conatur? Num verò omnes Ecclesias, quæ per orbem terrarum innumerabiles hodie sunt, & in quibus nostrorum libri auidissimè leguntur, oculis & auribus, adeoque sensu communi carere arbitratur, vt tam atrocem, tam impudentem, tam manifestam denique calumniam, nemo deprehendat, nemo detestetur? Quin ergo vel ex hoc vno indicio iudicent Christiani omnes, penes quem resideat spiritus ille mendacij & homicidij, cuius flosculis ille omnes ferè libri sui paginas aspergit.

Quapropter cùm ista hucusque aduersus ementitas & non minus impudentes quàm falsissimè cõfictas nostri huius quadruplatoris calumnias & atrocia conuitia, narratione verissima commemorauerimus, ex animo & qua possumus diligentia hortamur atque obsecramus fideles IESV CHRISTI *seruos, quicunque vel in Austriacis terris vel alijs in regionibus degunt, ne futili aduersarij nostri garrulitati eiusque impudentibus calumnijs fidem adhibeant, néue nos Arianæ impietatis sectatores esse, aut de orthodoxa & catholica Christia-*

Hortatio ad Austriacos, &c.

norum hominum fide nos aliter, quàm par est & verè Christianos decet, sentire suspicentur. Rursus enim Deum Opt. Max, qui cordium occulta atque Confessio quędam. *cogitationes videt, testamur, nos de ipso Deo, de sacrosancto adorandæ Trinitatis mysterio, de* IESV CHRISTO *Domino & Seruatore nostro, deque duabus eius in vna eademque indiuisa persona distinctis naturis, de eiusdem maiestate & gloria, de toto item redemptionis negotio & per illum parta humani generis salute, ita sentire, credere & docere, sicuti Sacræ scripturæ nos credere & sentire docent, & quemadmodum iam inde ab Apostolorũ temporibus semper sensit, & etiam nunc sentit germana & orthodoxa Christi Ecclesia, in cuius optatissimo gremio sancta & illibata fide permanere, simulq́; in veri Dei cognitione in finem vsque perseuerare toto animo desideramus. Etenim omnis generis sectas atque hæreses, cùm veteres tum recẽtiores, vnà cum omnibus aliis commentis quæ cum simplicitate fidei Christianæ minus conueniunt, semper ex animo detestati sumus, & adhuc detestamur.*

Probans. *Huius nostræ sententiæ atque fidei testes producimus libros nostros, quos iam inde ab initio nostri ministerij typis excusos publicauimus, & hos nostræ innocentiæ testimonium non minus verum quàm luculentum daturos speramus. Testes quoq́; sistimus omnes, qui in nostra Ecclesia sunt, Christi fideles,*

fideles qui nos sacrosanctum Dei verbum & orthodoxa fidei Christianæ dogmata quotidie profiteri & prædicare audiunt: Testem item producimus Confeßionem nostram, quæ anno in carne nati Filij Dei M. D. LXVI. publicè ædita summam totius doctrinæ continet, quam initio nostri in Ecclesiæ Tigurinæ ministerio antecessores, tradiderunt, deinde nos quoque concordi animorum consensu, adhæc simplicißimo & minimè fucato dicendi genere non nostræ, solum gentis hominibus, verumetiam toti mundo (vt sic dicam) hucusq; tradidimus, & in hunc vsque diem omnium gentium Ecclesijs cognoscendam proponimus.

Confeßionem hanc nostram vt orthodoxam & verè Christianam approbarunt celebres & innumerabilibus sanctorum martyrijs illustres IESV CHRISTI *Ecclesiæ, quæ in potentißimis Galliæ, Angliæ, Scotiæ, Poloniæ & Vngariæ regnis, & alijs quoque regionibus existunt. Quod si vel ipse Iacobus Andreas, quæ hominis effrontis audacia est, vel quisquã alius negare audeat, nos quod dicimus, luculentis & idoneis testimonijs poterimus probare. Taceo nunc, quæ toti mundo iã nota est, nostram cum Ecclesijs istis in præcipuis religionis nostræ capitibus consensionem. Atqui sunt in regnis istis, quæ modò commemorauimus, multæ myriades animarum, quas Christi sanguine redemptas*

Iac. Andreæ animarum myriades dãnat.

& huic per fidem insitas Deus pro filijs suis & regni sui æternæque salutis hæredibus agnoscit. Et ex his plerique propter nomẽ IESV CHRISTI quotidie omnis generis afflictiones incredibili patientia & inuicta fidei constantia sustinent. Quod vnum certè nostrum hunc antagonistam eiusque cõplices mouere debebat, vt diligentiori cum deliberatione magisque seriò de tota hac causa cogitarent, priusquam tot millia Ecclesiarum, in quibus nomen æterni Filij Dei IESV CHRISTI ex fide non fucata (quis enim simulationi locus est, vbi persecutiones feruent, & fidei professio cum præsenti vitæ periculo coniuncta est) inuocant, tot item fidelium animarũ myriades, inaudita & plus quàm Cylopica temeritate damnarent. Sed quid facias ijs, quos inuidiæ & odij rabies neque sensu cõmuni neq; ratione vti sinit?

Doctrinam nostram nõ esse damnatum errorẽ.

Enimuero doctrinam nostram Doctor Præpositus multoties repetito conuitio Errorem iam olim damnatum nominat. Sed demonstret quæso, vbinam locorum, & à quibus doctrina & Ecclesia nostra erroris legitimè cõuicta atque damnata sit? vbi item expulso procul, aut saltem ad tempus deposito, inuidioso partium studio, causa nostra audita sit & cognita? Scimus equidem in priuatis quorundam conuentibus non semel tale quid tentatum fuisse, vt aliquorum cæcis affectibus mos gereretur, qui

os

nos damnatos volebant. Atqui iuris regula est, quæ vtriusque partis homines audire, & seposito partium studio causas ipsas cognoscere iubet. Neque perpetuò rata esse potest aduersus manifestam Veritatem pronuntiata dãnationis sententia. Verbum Domini manet in æternum.

In colloquio certè, quod anno Christi nati M. D. LVII. *Vuormaciæ postremum fuit institutum, non defuisse scimus quietis & pacis Ecclesiasticæ osores, qui doctrinam nostram damnare conabantur. Sed nòn potuit horum conatus ijs probari, qui in eo conuentu eruditione præstabant, & quos multus rerum vsus prudentiores & modestiores pacisque studiosiores fecerat. Et quàmuis alteri illi tunc aliquid impetrauerint, nunquam tamen hoc probarunt pij & boni viri, qui ab initio ne quid huius fieret, obstiterunt. Testantur hoc clarissimi præstantissimique viri, Domini Philippi Melanchtonis, literæ, quas ex Colloquio illo propria manu scriptas ad me dedit, quarum exemplum est huiusmodi:* Colloquiũ Vuormaciense.

Epistola Philipp. ad Bull. Not. B

Reuerende vir, & charissime frater: Cùm non perfecissent nostri collegæ, vt condemnationem vestrarum Ecclesiarum comprobaremus, seiunxerunt se à nobis, & eam priuatim exhibuerunt τῷ βραβευτῇ Iulio, à quo petiuerunt, vt publicè in consessu recitaretur. Fuit autem ea moderatio τοῦ βραβευτοῦ, vt re-

sitari eam in consessu noluerit. Postea illi hinc discesserunt. Nunc igitur, an inchoata Collatio processura sit, dubitamus. Quicunque autem euentus erit, spero sapientes viros nostram cunctationem non improbaturos esse, quòd noluimus statim, re nō disputata nec explicata, confirmare Pontificum idola & parricidia. Sed precor Filium Dei, vt nos gubernet. Bene & feliciter Vale. Die 5. Octobris. Salutem opto vobis omnibus, & nominatim Petro Martyri.

Philippus.

Conclusio. Porrò, vt tandem velis collectis in portum me recipiam, spero me hactenus abunde satis demonstrauisse, Tigurinam Ecclesiam verè Christianā & orthodoxam esse ecclesiā: neq; nos in alicuius labores subdolè subrepsisse, aut quenquam à via Veritatis abduxisse, sed potius per huius regiam viam & nos ipsos incedere, & eos dirigere qui nos audiunt. Constat praeterea nos nullis sectis aut haeresibus pollutos, & proinde ne Arianos quidem esse, quos nemo audire, omnes autem vitare debeant: sicuti noster aduersarius nos diffamare satagit. Cuius calumniis, quoad hanc causam, haec in genere respondisse sufficiat: Suo autem loco eius Suggestionī, quam aduersus me priuatim scripsit, responde-

be

bo. Nunc autem communem & pleniorem ministrorum nostræ Ecclesiæ responsionem subijciemus, qua antagonistæ nostri Confutationem rationibus veris & solidis ita refutatam & euersam esse speramus, vt tota humi prostrata nullius oculos porrò perstringere, aut quenquam suo fuco fallere poßit.

INDEX PRAECIPVARVM, RERVM QVAE IN hac Apologia tractantur.

Aduer-

Præsen-

Mandu-

Humanæ

Panis nõ est essentiale a nte corp. Chri. 29

APOLOGIA
MINISTRORVM TIGVRINAE
ecclesiæ, ad defensionem D. IACOBI ANDREAE, *qua ipsorum Responsionem ad Testamentum Brentij confutare conatus est.*



VM responsionem nostram ad Ioannis Brentij testamentum D. Iacobus Andreæ confutare constituisset, initio veterum exemplis allatis docet licere ac fas esse testamento suas facultates disponere, & liberos de vera religione & cultu Dei admonere, quod cur fecerit mirati sumus. Neq; enim hoc in quæstionem vnquam à nobis vocatum fuit: non etiam ita inhumani & barbari sumus, vt arbitremur non licuisse Brentio testamentum condere, neque nefas esse putamus, si homo theologus, præsertim tam opulentus quàm ipsum fuisse vulgò ferunt, testamentum condat. Non etiam tam male in religione instituti sumus, vt nesciamus pij hominis officium esse, vt studeat suos in vera religione continere. Sed id reprehendimus, quòd Brentius testamento suo non tantùm falsa & absurda sua dogmata confirmare voluerit, sed simul quoque ecclesias insontes & ab hæresi alienas calumnijs & conuitijs pro-

Non operæ erat D. Andreæ exemplis patrū probare ius testamentorum.

ſcindere, & claſſicum contra illas hoc ſuo teſtamento canere publice auſus fuerit. Sicuti verò prior pars teſtamenti, qua ſuas facultates diſponit, certo conſilio ſuppreſſa eſt, ita quoque vtilius futurum fuiſſe diximus, ſi altera quoq; non fuiſſet in publicum edita. Alioquin quod teſtamentũ cõdiderit, in genere nemo reprehẽdit, vt hac defenſione facile D. Andreæ carere potuerit. Niſi forſitan pro ſuo candore quem vbique prodit, nos voluit apud noſtrarum rerum ignaros in ſuſpicionem vocare, quod Anabaptiſtarum more incipiamus politias labefactare, & teſtamentorum vſum tollere. Quod autem ait, Brentiũ exemplo Lutheri ſuos monere voluiſſe vt à Zuingliano errore ſibi caueãt, tum recte diceretur, ſi Lutherus aut Brẽtius nos alicuius erroris conuiciſſent, ſed id non fecerunt, neq; potuerunt: nec vnquam poterunt. Nunquam verò obtinere potuimus vt cauſa recte & legitime in aliqua ſynodo doctorum hominum cognoſceretur: neque etiam hactenus in vlla ſynodo ordinaria ratione & legitime damnati ſumus. Nam ſi conciliabula ſua nobis obijciant, viciſſim illis obijciemus Tridentinam ſynodum, quam ſummi monarchæ probarunt, & in qua homines docti ex varijs gentibus conuenerunt. Si dicant Lutherum nos damnaſſe, vni Luthero habemus plures quos opponamus pietate & doctrina illo non inferiores, qui craſſam & ſemipapiſticam Lutheri opinionem improbarunt,

Zuingliani nunquã legitime ſunt damnati & conuicti.

N.B.

runt, quam ne Melanchton quidem laborum illius socius prorsus approbare potuit. Itaque non debuerat Brentius hæreseos damnare suo testamento, quos neque ipse conuicerat huius criminis, & nunquā legitimé damnatos norat.

Nam quod nostram doctrinam suspectam facere vult D. Andreæ, propterea quod quidam ex nostris ad Arianos defecerint, ad id dudum responsum est. Non recte colligit eam non esse veram Christi ecclesiam ex qua praua dogmata spargentes aliqui egressi sunt: cum sciamus ex ipsa Apostolica ecclesia primos hæreticos Ebionem, Cerinthum, & alios egressos esse. Neque videtur hoc Brentium commouisse vt tam acerbe in nos inueheretur, nam & pauci & non ita clari fuerunt qui ad Arianismum defecerunt: sed hoc potius illi doluit, quod vidit Vbiquitatem suam non posse vbique in Germania locum habere, & sensit multos esse viros doctos per vniuersam Germaniam qui audeant non per omnia cum Luthero aut Brentio sentire & loqui de Sacramentis: qui putent satis diu de eo certatum esse quod symbolum concordiæ Christus esse voluit, finem tandem aliquem faciendum esse contentionibus & rixis, conuiciatrices libros non esse ferendos, etsi aliqua sit in hac causa sententiarum diuersitas, pacem nihilominus colendam esse. Quare vt Vbiquitatem suā defenderet, hoc testamento in omnes aliter sentientes inuehitur eosque Zuinglianos vocat, ita

Nos nō faemus propterea damnandi quia aliqui ad Arianismū defecerunt.

Cur Brentius nobis irascatur.

enim suis clamoribus & calumnijs atque conuitijs hoc nomen in odium vocarunt, vt id vnũ apud multos satis sit ad damnandam incognitam doctrinam.

Cur testamentũ edi debuerit.

Hoc tam præclarum testamentum (vt D. Iacobus censet) omnino in publicum edi oportuit, ne aliqui de Brentij sententia dubitarent, & eum in suspicionem Zuinglianismi vocarent: quod & Luthero & ipsi Brentio viuenti accidit. Equidem nos aduersus quos D. Andreæ scribit, nunquam vel Lutheri vel Brentij auctoritate sententiam nostram defendimus, neque eos, cum quibus tot scriptis publice editis, concertauimus, nobiscum consentire credimus, aut scripsimus. Attamen non est mirum si varia sint hominum iudicia de Lutheri & Brentij sententia, cum varie ipsi de eadẽ re scripserint. Lutherus enim antequam controuersia hæc disceptaretur, longe aliter de Sacramento scripsit in sermonibus suis, & libro de captiuitate Babylonica, quàm postea scripserit. In ipsa autem concertatione sacramentaria cum putaret se defendere proprium sensum verborum Domini, neq; tamen de illo certus esset, tria affirmauit, quæ nequaquam conuenire inter se possunt. Nam non nunquam probauit Papistarũ sententiam & nominatim Nicolai PP. qui Berengario hanc confessionem præscripsit, corpus Christi non in sacramento tantum, sed vere accipi sensualiter & dentibus atteri. Transsubstantiationem quoq;

Lutherus sibi ipsi cõtraria scripsit de sacramento.

In confess. maiori.

Papi-

Papiſticam à ſe ante damnatam, ſicut & eleuationem panis, ſtudio contradicendi noſtris inter adiaphora numerauit. Deinde docuit ipſum panem eſſe ſubſtantiale corpus Chriſti, ac duas ſubſtantias eſſe & nominari vnam ſubſtãtiam. Ac ita voluit panem & corpus vnum eſſe, ſicut ignis & ferrum vniuntur in ferro ignito. Tertio docuit corpus Chriſti adeſſe & præberi in, cum, ſub, & iuxta panem, atque ideo panem nominari corpus Chriſti, quoniam definitiuè pro ratione glorioſi corporis, aut repletiuè propter perſonalem vnionem corpus cum pane realiter & ſubſtantialiter præſens ſit in omni loco in quo Cœna Domini celebratur. Brentius verò in Syngrámate, quod olim vna cum alijs quibuſdam Sueuis contra Oecololampadium edidit, & in Exegeſi in Ioannem multa ſcripſit & affirmauit, quæ nunc ipſius diſcipuli tanquam hæretica & Zuingliana damnant. Docuit enim corpus Chriſti in cœna fide & ſpiritualiter manducandum eſſe. Sicut enim verbo remiſſio peccatorum fidei offertur & præſens fit, ita inquit, verbo cum pane corpus Chriſti fidei offerri. Fidem verò rem longiſſime pro captu mundi poſitam, ſibi præſentiſſimam facere & videre. Corpus Chriſti corporale nō recipi à corde, animo, fide, niſi pro ratione à fidei quæ eſt ſpiritualis: neq; enim carnali ratione fide corpus Chriſti recipi. Atque in ſumma non ponit aliam corporis Chriſti communicationem in pane Cœ-

In breui confeſſione.

In Confeſs. maiori.

Brentius quoq; ſibi ipſi contraria ſcripſit.

næ quàm in Verbo. Similiter de Cœlo, & de Aſcenſione Chriſti in cœlos, ſeſſione ad dextram, de perſonali vnione, nō pauca aliter olim Brentius ſcripſit quam nunc D. Andreas ſcribat, quamuis enim id impudenter neget, tamen & alij dudum hoc oſtenderunt, & nos verbis ipſorum prolatis ſuis locis id ipſum probabimus.

Quam autem neceſſaria & iuſta fuerit noſtra reſponſio ad teſtamentum Brentij, & quod iure conqueramur nouis & humanis additionibus, & contentioſis atque ambiguis phraſibus implicari negotium cœnæ dominicæ: iudicio lectorum qui noſtra & Andreana ſcripta legerint committimus, ſicut & Brentianas atque Andreanas calumnias qui nobis ſpiritum mendacij & homicidij immeritó & falſiſſimè tribuunt. Porrò quod viciſſim conqueritur nos omnes eccleſias quæ Lutherum ſequuntur, falſo accuſare quod corporalem vbiquitatem corporis Chriſti doceant, ita vt corpus Chriſti cum diuinitate per omnia loca extendatur, & inſtar diuinitatis vbique præſens ſit: in eo inſignem nobis facit iniuriam. Qualis quidem ſit Vbiquitas Brentiana ſuo loco tractabimus, attamen qualiſcunque illa ſit, nunquam omnes eccleſias quæ Lutherum ſequuntur hoc nomine accuſauimus. Scimus enim multos ex genuinis & veris Lutheri ſectatoribus eſſe quibus Brentiana vbiquitas non probatur, quique id publicis ſcriptis teſtati ſunt. Verum omnes Lutheranos ſecum

Nō omnes Lutherani probāt Vbiquitatem

cum

cum sentire fingit, vt nobis persuadeat se apostolica sua legatione in Saxoniam omnes in suã sententiam abduxisse.

Cum verò ante triennium responsio nostra ad testamentum Brentij in publicum edita fuerit, Iacobus Andreæ homo alioqui promptus ad respondendum, & cui verba & sophismata nunquam desunt, etiamsi solidis rationibus destituatur, tardioris responsionis hãc causam affert: Quod in nostra Responsione nihil noui proferamus, sed ea quæ dudum solide confutata sint. Attamen hoc tempore se adhortatione & precibus multorum magnorum virorum ad respondendum impulsum fuisse: qui hoc necessarium iudicarint, vt adimatur nobis gloriatio quod ad nostra argumenta non possint respondere.

Cur tã tarde responderit Andreas.

Primum nos nihil noui in nostra Responsione protulisse libenter agnoscimus: idem enim genus doctrinæ & phrases quoq; easdem, præsertim scripturæ & antiquissimis Patribus vsitatas, libenter retinemus: neque est moris nostri instar Vbiquistarũ noua dogmata singulis lustris cudere, & nouis ac sophisticis atque ambiguis locutionibus doctrinam religionis inuoluere & obscurare. Quod autem argumenta nostra solide & perspicue confutata esse gloriatur, suo more facit, qui sibi triũphos fingit absq; victoria. Forte apud illos iudices qui alteram tantum partem audiunt, apud quos solet cau-

Cur nihil noui protulerimus.

Nostra argument nõ sunt confutata.

ſam ſuam agere, aliquid efficere & obtinere poterit. Nos pio lectori qui ſcripta vtrinque ædita bene expenderit, & cum ſacris literis cõtulerit, iudiciũ relinquimus. Certe ſi tam ſolide noſtra confutata & proſtrata fuiſſent, nemo puto obieciſſet illis ea à nobis proferri ad quæ non poſſint reſpondere. Nos enim etſi de noſtra doctrina certi ſumus, nunquam tamen iactauimus illis Reſponſionem deeſſe, ſcimus enim hominibus locutuleis & in ſophiſtica exercitatis, nunquam deeſſe quod reſpondeant, etiamſi non bene & vere reſpondeant. Oportet alios quoſdam commotos fuiſſe noſtro ſcripto, qui hoc Andreæ obiecerint, ita vt Brentianæ doctrinæ auctoritas apud nonnullos in dubium vocata fuerit, quos Andreas confirmare, & nutantem Vbiquitatem ſuſtentare conatur. Alioqui poterat magnis illis viris qui ipſum ad reſpondendum precibus ſuis impulerunt reſpondere, dudum noſtra cõfutata eſſe, & ſimul libros & loca oſtendere in quibus hæc confutentur.

Cur D. Andreę per 3. annos tacuerit & nũc reſpondeat.

Sed proculdubio alia fuit cauſa cur trienniũ ſiluerit, & hoc demum anno hanc Reſponſionem ediderit. Anno illo quo noſtra Reſponſio ad teſtamentum Brentij edita eſt, liber eruditus ac pius à Theologis Academiæ Vitebergenſis euulgatus eſt, De perſona & incarnatione Domini & ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti, in quo noua Eutychiana & Neſtoriana dogmata Vbiquiſtarum, de reali transfuſione omnium donorũ

diuinæ

diuinæ naturę in humanā, & quę huic sunt coniuncta, perspicue & solide confutantur, & ipsa vbiquitatis fundamenta subruuntur. Videtur autem hoc non parum turbasse Iacobum Andream, quoniam non obscure animaduertit suā doctrinam publice damnari à celeberrima totius Germanię Academia, cum cuius iudicio vicina quoq; Lipsensis Academia cōsentiret. Heidelbergenses à quibus ipsius dogmata sępe confutata sunt secure contemnebat, vt Zuinglianos & Caluinianos, & qui propterea nullam apud Germanos auctoritatem haberent. Sed à Lutheri discipulis & successoribus damnari graue illi fuit: præsertim cum omnibus ante persuasum voluisset vniuersam Saxoniam secum consentire, cum nouus Apostolus Vbiquitatis ex illa Saxonica, atque vt aiunt ipsi non infrugifera legatione, domum reuersus fuisset. Quid igitur? Num interea temporis pudore confusus siluit? Equidem vellemus in eo aliquid pudoris inesse. Sed interea Memmingenses suas præclaras conciones in publicum edidit, & suo more nouas iterum dicendi formas excogitauit, sub quibus delitescere posset, & Vitebergēsium tela in se vibrata declinare. Nam qui antea pleno ore vociferabatur de transfusione omnium donorum, cepit postea tantum vrgere humanam naturam cum diuinæ naturæ omnipotentia & alijs proprietatibus communionem habere, gemeinschafft haben. Item duplicem esse carnis

Memmingens. conciones.

Christi essentiam, personalem & naturalem, aliaque huius generis. Palam autem & acerbe omnes qui Vbiquisticam doctrinam improbant Arianos vocat, & eos Turcicam religionem habere ait. Neque tamen ad Vitebergensium scriptum quicquam publicè responderе ausus est: priuatim verò quid cum suis gregalibus molitus sit, huius anni acta declararunt: Etenim viri doctissimi in Schola Vitebergensi, & totius Saxoniæ lumina, in vincula coniecti, & ab Academia & docendi atq; scribendi munere remoti sunt: ac tandem Flaciani & Vbiquistæ obtinuerunt, id quod iam annis aliquot quęsiuerunt, quādo hos in Caluinismi & Zuinglianismi suspicionem maliciosè vocarunt. Hæc est illa victoria quę Vbiquistis cristas erexit. Et certe non immeritò Vitebergenses D. Andreas metuebat, nam non tantum grauissime illius errores confutarunt, & ostenderunt multas veteres hæreses hac Vbiquistica doctrina renouari: sed eo quoque fortius eum oppugnare potuerunt, quod ipsorum scripta per vniuersam fere Germaniā leguntur, itaq; illi non licuit tam impudenter & impune atq; cōtra nos quiduis confingere. Hoc igitur metu liberatus, ac certus viris illis doctissimis omnem scribendi & Vbiquisticas opiniones confutandi facultatem ablatam esse, nos aggreditur, quiduis enim contra Zuinglianos audere & scribere licet, itaque & in hoc contra nos edito libello, sua dogmata repe-

Captiuitas Vitebergēsiū animos addidit D. Andreæ.

repetit atque defendit, cui si nos respondemus, non magnifacit: nemini enim palam nostra scripta legere licet vbi Vbiquitas regnat, quod si alij conentur eius errores de Christi seruatoris nostri persona & naturis confutare, statim eos Zuinglianos esse clamabit, etiamsi in doctrina de sacramentis minime cum Zuinglianis sentiant. Quid autem expectandum sit his quos Zuingliani nominis odio prægrauarint Vbiquitarij isti theologi, Vitebergensium exemplũ docet. Si omnes taceant & impune calumniari licuerit, tum se prorsus inuictum Achillem Vbiquitatis putabit. Sed vt speramus multum opinione sua fallitur, neque enim captiuitas Vitebergensium omnium animos deiecit & terruit, sed potius multorum animos per Germaniam ad studium inquirendæ veritatis excitauit, neque deerunt quoque qui nostram defensionem legent, quantumuis Vbiquarij illis omnem aditum præcludere conentur.

CAPVT I.

Cœnam domini nostri Iesu Christi obscurari & implicari humanis additionibus, et contrarijs ac ambiguis locutionibus.

BRentius in suo testamento nostram doctrinam acerbe damnat, propterea quod negamus verum corpus & sanguinẽ Chri

sti, vere & essentialiter & corporaliter in cœna præsens esse, ac vna cum pane & vino omnibus distribui qui id ore sumunt, siue digni sint siue indigni. Nos cótra conquesti sumus cœnam domini fieri contentionú materiam additis illi tot humanis appédicibus, disputationibus, contentiosis & ambiguis locutionibus, cuius generis sunt, panem substantialiter & corporaliter esse corpus Christi: vel id substantialiter & corporaliter præsens esse, & substantialiter atque corporaliter cum pane sumi etiam ab indignis: Christum quidem dixisse, Hoc est corpus meú, sed quoniam sacramentum instituebat, verba eius sacramentaliter accipienda non corporaliter & substantialiter, vt aduersarij illa interpretantur: Respondet Iacobus Andreæ omnem culpam contentionum in nobis hærere: Lutherum enim absque omni disputatione retinuisse simplicia verba Domini, eorumque simplicem sensum quem vetus ecclesia semper habuerit, Zuinglium autem corrupisse verba Christi ea interpretando, hoc est, id est, hoc significat corpus meum, quare meritò Lutherum se illi opposuisse & ipsius rationes fortiter confutasse. Deinde disputat de verbis corporaliter & substãtialiter. Equidem si vera essent quæ de Luthero & Zuinglio scribit, merito nobis imputaretur omnis culpa tristis huius controuersiæ sacramentariæ, qua hodie ecclesiæ mirum in modum turbantur. Sed primum falsum est, Lutherum

Ambiguæ locutiones.

Penes quos sit culpa harum contentionum.

rum

rum cum ſuis retinere ſimplicem ſenſum verborum Chriſti: nam Luthero quoque conſentiente demonſtratiuum pronomē Hoc panem demonſtrat: idipſum inquam quod Chriſtus accepit, benedixit, fregit & diſcipulis dedit, itaque de pane dicitur, Hoc eſt corpus meum, ac ſimplex ſenſus eſt, panem hūc eſſe corpus Chriſti. Nos verò nunquam negauimus panem ſuo modo nominari & eſſe corpus Chriſti: ſed hic controuerſia in eo poſita eſt, an panis natura cōuertatur & ita fiat corpus Chriſti, vel an duæ diſparatæ ſubſtantiæ panis & corpus Chriſti ita vniantur vt ſint vna ſubſtantia ſicut in ferro ignito ferrum & ignis vniuntur; item an nulla facta conſubſtantiatione nihilominus panis dicatur corpus Chriſti, quia corpus Chriſti cum pane, aut in pane, vel ſub aut iuxta panē adſit, tali coexiſtentia, vt omnes qui hunc panem ſumunt, ſimul quoque manu miniſtri porrectum corpus Chriſti ore ſuo ſumant. Harum opinionum nulla ſeruat ſimplicitatem verborum Chriſti, & tamen omnes diuerſis locis ſcriptorum Lutheri probantur. Nam ille fermentum Papiſticum de corporali præſentia Chriſti dudum in papatu animo conceptum, exuere nunquam potuit. Contrà Zuinglius qui videret has opiniones verbis Chriſti vim inferre & tantum præiudicata opinione niti, verba quidem Chriſti non eſſe mutanda dixit, quod in hac tropica locutione maior ſit energia qua rea

Lutherani non ſeruāt τὸ ῥητὸν uerborum cœnæ.

Zuinglij interpretatio uerborum cœnæ.

ipsa exprimitur: sed tamen cum hæc sint sacramentalia verba, pro natura sacramentorum, & more loquendi vsitato spiritui sancto in rebus sacramentalibus, sacramentaliter & tropice explicanda esse, vbi signo tribuitur nomen rei signatæ, & signum dicitur id esse quod significat & repræsentat, non autem substantialiter idipsum est. Hac aũt sua interpretatione nõ peruertit verba Christi, sed eorum verum & genuinũ sensum ostendit, atque suam sententiam testimonijs & exemplis scripturarum & veteris ecclesiæ confirmauit. Quanta verò hæc est impudentia, quod Iacobus Andreæ ait verba Christi peruerti quando ea interpretamur per Significat, cum sciat Tertullianum, Origenem, Clementem, Hieronymum, Augustinum, & patres ferme omnes hoc modo interpretari sacramentales locutiones, & nominatim verba Cœnæ Domini? Imò ipse Andreas fatetur panem esse & rectè etiam nominari figuram, signum, typum corporis Christi, & significare corpus Christi. Argumenta autem quibus Zuinglius suam sententiam probauit, firmiora sunt quàm vt ea Lutherus euerterit. Quod si omnia tam perspicuè & solidè confutauit, cur interdicunt suis lectione nostrorũ librorũ? nihil periculi enim est si nostra toties ab illis cõfirmata & prostrata sunt. Sed nõ opus nobis esset vlla noua defensione, si vetera scripta Zuinglij & Oecolampadij atque aliorum legerentur, facile enim viderent

Zuinglij argumenta nõ sunt confutata à Luthero.

derent

derent, lectores quam iniquè nostra sententia damnetur: nunc quoniam omnia nostrorum scripta, vno edicto damnantur, & ex omnibus Lutheranorum prouincijs proscribuntur: cogimur denuo eadem repetere, si forte aliquos possimus huc adducere vt absq; affectu causam hāc cognoscant, & illam ex verbo Dei dijudicent.

Lutherani contentiose hanc causam egerūt.

Porrò non tantum à simplicitate verborum Christi Lutherus recessit, & sensum attulit ex Papistica opinione animo suo inherentem, sed hanc suam sententiam & ipse atque plerique qui eum secuti sunt, ita defenderunt, vt merito turbarum & contentionum in ecclesia auctores dici possent. Carolostadius primus disputare cœpit de interpretatione verborum Christi contra Papisticam artolatriam & impanationem corporis Christi illi non multum absimilem: hunc nos neque excusamus neque etiam damnamus: quamuis enim quoad summam rei sententia ipsius non sit improbanda, argumenta tamen & modum agendi plerique improbarunt. Verum quemadmodum Lutherani Carolostadium accusant quod iratus Luthero propter repræhensam iconomachiam de sacramento contra illum scripserit: ita vicissim apud multos videtur Lutherus æmulatione quadam Carolostadij sententiam damnasse, quod non à se primum in lucem prolata fuisset, ne videretur tantus doctor à quoquam aliquid didicisse. Certè laudari non potest quod idola restituit:

Carolostad.

Lutherq ni... [illegible] idola.

etsi enim Carolostadius peccauit quod per tumultum ea sustulit: semel tamen sublatæ abominationes quas toties scriptura damnat, non fuerunt restituendæ, multo minus secundum præceptum decalogi, quo imaginum vsus damnatur, in Catechesi omitti debuit, & quasi expungi ex tabulis diuini fœderis. Quod autẽ aureo nummo dato, Lutherus stipulatus est Carolostadium vt contra se scribat, animum indicat (vt nihil grauius dicam) non valde sollicitum de dissidijs & contentionibus ecclesiarum. Quis enim nescit contentiones vbi scriptis editis publicatæ fuerint, longius progredi, & spargi hoc modo dissensionum incendia?

Zuinglius antequam Carolostadius quicquam scriberet, hanc causam diligenter tractauit, & cum viris doctis contulit: & cum publicis scriptis rem agere statuisset, Latinè sua edidit, vt tantum inter doctos controuersia hæc disceptaretur: Idem fecit Oecolampadius. Sed è contra Lutherus tribunitijs concionibus Germanica lingua contra eos agere cœpit, vt hac ratione apud plebem à se dissentientes in odiũ vocaret. Deinde mox ab initio huius controuersiæ diligenter cauerunt aduersarij, vt à magistratu prohiberetur ne vsquam libri nostrorum venales prostarent, & eorum lectione omnibus interdiceretur. Et quod iniquissimum antea videbatur, cum talia edicta à Papisticæ religionis proceribus contra ipsos ederentur, id mox tanquam

Aduersarij uulgi theatrũ captãt, & nostra scripta prohibent legi.

quam

quam æquiſſimum contra nos ſtatuerunt. Qua verò modeſtia libris publice editis controuerſia hæc vtrinque diſceptata ſit, lectorum iudicio relinquimus.

Poſtquam aliquot annis cauſa hæc libris vtrinq; editis diſceptata fuit, Illuſtriſſimus princeps Philippus Heſſiæ Landgrauius, vtriuſque partis theologos Marpurgū euocauit, vt controuerſiā hanc amico colloquio componerent. Ac noſtri quidē ſummopere laborarunt vt concordia ſtabilis fieret, adeò vt poſtea aduerſarij quaſi probri loco ipſis obiecerint, quod eorum fraternitatē tantopere ambierint. Ac de ceteris qui dē capitibus religionis noſtrę conſenſerūt, hoc tantū controuerſum māſit; Vtrum verū corpus & verus ſanguis pani & vino corporaliter inſint. Attamen tum inter eos conuenit, vt vtraq; pars alteri ſe amicam præbeat, pacē colat, & ab acerbo rixatorū librorum ſtilo ſibi temperet. Poſt hoc colloquium, Argentinēſ. Theologi, & pręcipue Martinus Bucerus, plurimū in concordia ſtabilienda laborarūt: ac Heluetiorū confeſſionem nuper ab illis conſcriptā Bucerus obtulit Luthero, à quo etiam approbata eſt, ac videbatur Buceri præcipue opera pax facta eſſe, & amniſtia quædā priorum offenſionū inducta: noſtri quoque ab eo tempore diligenter cauerunt, ne quid acerbe & contumelioſe cōtra Lutherum ſcriberent. Sed Lutherus ab alijs (vt quidam exiſtimāt) contra noſtros concitatus, ſpre-

Colloquiū Marpurgenſe.

Pag. 7.

Actio concordiæ.

Concordia inita uiolatur à Luthero.

ta conuentione Marpurgi inita, & concordiæ pactis neglectis, cum sæpe aliâs in suis libris Zuinglium lacerare & in nostros acerbe inuehi perrexit, tum etiam anno 1544. aperte bellum hoc sacramentarium renouauit, edito acerbissimo libello, quem Breuem confessionem inscripsit. Nostri toties prouocati publico scripto Luthero responderunt, in quo cum plurima quæ ad hanc causam pertinent diligenter tractantur, tum etiam vere & dilucide exponitur, qui nam tristis huius controuersiæ auctores sint, & concordiam initam violarint, quæ nos breuiter tantum hoc loco perstrinximus.

Vuestphalus huius certaminis renouator.

Lutheri mortem secutum est bellum Germanicum, atque tum aliquot annis certamen hoc sopitum fuit, quod quidem publica scripta attinet, donec anno 1552. Ioachimus Vuestphalus bellum renouaret. Hic occasionem scribendi inde arripuit, quod Tigurini & Caluinus consensum suum de Cœna domini publicè testati essent. Adeò enim pacis amantes sunt quidam nostræ ætatis theologi, vt ferre non possint aliorum inter se concordiam. In hac concertatione Iacobus Andreæ anno 1557. libellum edidit de Cœna domini, cui Brentius Præfationem addidit, in qua scribit; Quandoquidem multa in hac causa vtrinque scripta & disputata sint, tempus postulare, vt hæc causa si non his qui nunc viuunt saltem posteris iudicanda permittatur. Vtile autem sibi videri vt vtraque par-

pars à conuitijs sibi temperet. Verum non diu hunc animum retinuit Brentius, sed ipse quoq; à nemine prouocatus in certamen descendit, atque vbiquitatem corporis Christi pro viribus asserere cœpit, neq; eam modestiam quam hic exigit, ipse in suis libris præstitit. Malo huic crescenti mederi voluerunt Illustrissimi principes, Palatinus Elector, & Dux Virtenbergicus, conuocato Mulbrunensi colloquio: sed Vbiquistę, etsi fidem dedissent se nihil de eo absque principum consensu in publicum edituros, nihilominus summam colloquij suo arbitratu conscriptam & ad suum commodum detortam & deprauatam in publicum ediderunt, vt hoc præiudicio & suis calumnijs aures & mentes hominum præoccuparēt, & à suis aduersarijs abalienarēt. Breui postea authoritate aliquot Illustrissimorum principum Germaniæ conuenerat, vt vtraque pars à condemnatione & calumnijs alterius abstineret. Sed non tanti fuit Principum auctoritas apud Vbiquistas theologos, quam vt Argentinæ Marpachius ingens volumen ederet, quo nos hæreseos damnat, & conuitijs atque calumnijs proscindit. Similiter præter alia acerba scripta, Brentij testamentum ab illis editum est. Coacti igitur sumus silentiū rumpere & innocentiam nostram tueri. Nunc quoque maluissemus in alijs rebus ecclesiæ vtilioribus laborare, sed cum Iacobus Andreæ non tantum in concionibus Memmingensibus, sed nuper quo

Brentius nouum bellum excitat.

Vbiquistæ contra fidē datū agunt.

Vbiquistæ, contra conuenta principū libros damnatorios edunt.

que libello nominatim contra nos edito, nos atrocissimis conuitijs proscindat, ac Arianos & Machumentanos imò his deteriores dicat, ac nos scribat duci spiritu mendacij & homicidij: Christum abnegare, & maiestate sua spoliare: negare omnipotentiam Christi: duos Christos facere, & Nestorianos esse: nullum discrimen facere inter Christum & Petrum: Cúm inquam has atque alias complures falsas & ementitas calumnias publicè spargat, cogimur illi respondere, & innocentiam nostram asserere. Ex his autem quæ breuiter sed verè & simpliciter narramus, facile videri potest, qui nam hoc certamen excitarint. Neque enim culpa in eos conferenda est, qui toties prouocati se defendunt, & famam suam contra falsissimas calumnias tuentur, sed in illos qui contra principum auctoritatem, imò contra Christiani hominis officium, nos pacem & tranquillitatem ecclesiarum seruare cupientes, libellis maledicis toties damnarunt & ex ecclesia proscripserunt. Ac quoniam verè dicit Andreas graues pœnas daturos huius tristissimi certaminis auctores, cogitet quæso tandem quid sibi & suis expectandum sit, qui non tantum disceptationem hanc renouarunt, sed articulos fidei antea immotos, & mysterium incarnationis domini & seruatoris nostri Iesu Christi huic certamini immiscuerunt, & nouas interpretationes articulorum fidei, antea inauditas, non aliam ob causam excogitarunt,

Pag. 99. 110. 112. Pag. 113. Pag. 59. & 100. Pag. 74. Pag. 45. & 11. Pag. 99.

Huius certaminis auctores pœnas dabunt

gitarunt,

gitarunt, quam vt Vbiquitatem corporis Christi, & eiusdem realem existentiam in pane probare possint.

Veniamus nunc ad alteram partem primi capitis, in qua conatur ostendere voces Corporaliter & Substantialiter non esse humanam additionem, neq; enim Lutherũ has excogitasse, sed Cyrillum & veteres quoque his vsos esse. Sed nos non de nudis vocibus, sed de tota hac oratione, Panem & Vinum esse substantialiter & essentialiter corpus Christi, & propterea corpus Christi in cœna essentialiter & substantialiter præsens esse, locuti sumus. Cum enim dicãt se retinere simplicia verba Christi, Hoc est corpus meum, & tamẽ ea sic explicent, panem substantialiter & essentialiter esse corpus Christi, aut corpus Christi cum pane substantialiter & essentialiter præsens esse: petimus vt hanc suam interpretationem probent ex scripturis, hoc enim quod dicunt, humana interpretatio & additio est, nisi scripturis probetur. Non quærimus quid Lutherus aut Cyrillus dicat, sed cum simplicitatem verborum Christi iactent, ostendant quomodo hæc cum illa simplicitate conueniant. Cum Zuinglius & Oecolampadius verba Christi interpretati sunt, Panem denominari corpus Christi, quia significet corpus Christi, sit sacramentum, figura, & signum corporis Christi: ipsi quoque has interpretationes non confinxerunt, cum eodem modo Tertullianus,

Aduersarij uerba Christi interpretantur.

Augustinus & veteres ferè omnes locuti sint, & tamen eos tanquam violatores testamenti Christi damnatis. Quomodo verò hoc sibi licere putat Iacobus Andreæ, nobis scripturas petentibus, pro scripturis vnum Cyrillum obijcere, cùm ipse vitio verterit Heidelbergensibus theologis in Mulbrunnensi colloquio, quod Iustini testimonio vsi fuissent, cum tamen in hunc tantum finem adduxissent, vt sententiam scripturæ & veteris ecclesiæ eius verbis potius quàm suis explicarent?

Interpretationem suã non scripturis sed Cyrilli auct. probat.

Sed quàm Cyrillus ipsius opinioni faueat mox viderimus, si prius dixerimus de multiplici huius vocis CORPORALITER significatione. Hæc itaque vox significat quandoque corpus ipsum, aliquãdo modum corporis: priore modo à Cyrillo accipi Iacobus Andreæ fatetur, ipsos quoq; non aliter hac voce vti: nos illis falso attribuere ait quod corpus Christi asserant corporaliter præsens esse, quemadmodum in prima cœna cum discipulis discubuit. Controuersiam autem esse, num tantum Spiritus Christi, an verò ipsius corpus quoque verum in cœna præsens sit, & ita præsens, vt non cogitatione tantum præsens fiat, nullo autem modo natura sua in terris præsens sit, sed siue credas siue non credas, vere præsens sit. Atque hęc est Andreæ sententia multis verbis explicata: vbi miror eum omisisse tertiam significationé vocis Corporaliter, quam posuit olim in libello suo

Corporaliter quot modis dicatur.

lo suo de Cœna domini anno 1557. edito, his verbis. Tertio inquit vox Corporaliter in hac causa accipitur & intelligitur de externo & corporali signo panis & vini, Christum scilicet dare nobis corpus suum (quod est spiritualis cibus) corporaliter, hoc est vna cum corporalibus rebus: nam panis vtique & vinum sunt corporalis cibus & potus, præter quem & cum quo etiam spiritualis cibus & potus porriguntur. Si hic est verus vsus huius vocis, cur nos damnat, quando docemus, Christi corpus spiritualem esse cibum, & propterea non manducari ore corporis: sed quia symbola externa panis & vinum quæ corporea sunt, ore corporis manducantur, quæ tamen more sacramentis vsitato nomen rei signatæ accipiunt, & dicuntur corpus Christi, ideo recte à veteribus dictum, corpus Christi in os ingredi: ipsum tamen substantiale corpus Christi, spiritualem cibum esse & tantum spiritualiter edi? Si Iacobus Andreæ cum suis ita sentit quemadmodum scribit, & tam concordiæ ecclesiarum studiosus est quàm se iactat, non esset difficilis ratio concordiæ ineundæ. Corpus enim Christi corporaliter, hoc est iuxta modum veri corporis adesse in cœna & nobis communicari Iacobus Andreæ non minus quam nos negat: dicit autem corporaliter edi corpus Christi, quia panis corporaliter editur, cum quo tamen Christus corpus suum spiritualiter edendum nobis dat: quod nos quo

Alia significatio huius uocis alibi tradita à D. Iacobo.

Pag. 19.

que libenter fatemur. Corporaliter item dicit Christum præsentem, quia non tantum diuinitate sed humanitate sua præsens sit. Nos quoq; hoc non simpliciter inficiamur: Christum enim corpore suo fidei nostræ & spiritui præsentem fatemur.

D. Andreæ statum controuersiæ inuertit.

Quare cum D. Andreæ hoc controuerti dicit, an Christus spiritu tantũ, an etiam corpore in cœna præsens adsit, non ingenuè, sed vt solet, sophisticè agit. Falso enim nobis tribuit, quod doceamus Christum tantum spiritu seu diuinitate sua præsentem esse; corporis aũt nullam agnoscamus præsentiam, nisi quatenus cogitatione nobis id præsens facimus. Nostri semper docuerunt corpus Christi fidei nostræ & spiritui nostro præsens esse, ille pro fide substituit vnsere gedancken cogitationem aut imaginationem: quod si illi idem est fides & humana imaginatio seu cogitatio, quis credet aliquẽ veræ fidei sensum in eo esse? sin hæc distinguit, & nihilominus pro præsentia fidei quam affirmamus, tantum cogitationis & imaginationis præsentiam nobis adscribit, quis nõ videt eum manifeste calumniari & inuertere nostram sententiam? Quæstio autem non est de eo, an Christus spiritu tantum adsit, an verò etiam secundum humanitatem præsens sit, cum nostri nunquam nisi crassam illam carnalem, corporalem, substantialem & localem præsentiam corporis Christi negarint. Et cum hęc calumnia plus sexcenties refutata sit, & scriptis Oecolampadij &

Zuinglij

Zuinglij palam refellatur, tamen non pudet D. Andreæ eandem & quidem sæpius in hoc libello repetere, & asserere quod omnem præsentiam corporis Christi negemus.

Pag. 14. 24. 21.

pag. 21.

Nobis item obijcit quod ipsis tribuamus crassam & corporalem præsentiam, quasi Christus ita adsit, quemadmodum in vltima cœna mensæ assedit vna cum discipulis, à qua opinione longissime absint: se nanque longe aliter vti voce corporaliter, quæ veri corporis substantiã non modum ipsis significet. Verum si corporaliter ita ab ipsis accipitur, cur scribunt verum & naturale Christi corpus substantialiter & corporaliter præsens esse? Si tantum volunt indicare veri corporis præsentiam, an non satis erat dicere verum & naturale corpus præsens esse? Certè cum dicunt verum & naturale corpus substantialiter præsens esse, modum aliquem præsentiæ exprimunt, quod sua substantia & actu primo vt dicitur præsens sit. Cum vero negant corpus adesse corporaliter, hoc est iuxta veri corporis modum, vt circumscriptum seu localiter & sensibiliter adsit, contradictoria loquuntur. Si enim verum corpus sua substantia realiter præsens est, oportet vt circumscriptum & in loco adsit: ea enim est veri corporis natura: & ipsi quoque nunc fatentur corpus Christi naturali modo in cœlo præsens & circumscriptũ adesse. Si igitur illic circumscriptũ est, nulla eius pars extra eum locũ erit: & si rursus eodem

Quomodo uoce corporaliter aduersarij utantur.

Not. B.

Modũ præsentiæ exprimunt.

Contradictoria asserunt.

pag. 21.

tempore substantia sua alibi adest, tum extra eum locum erit, neque refert visibiliter an inuisibiliter adsit: nam omnino hæc pugnant corpus sua substantia ita alicubi esse vt alibi non sit: & idem rursus alicubi esse vt etiam sua substantia alibi sit. Atque hanc contradictionem nostri illis perspicue & manifeste indicarunt, & simul ostenderunt eos non posse vti effugio omnipotentiæ Dei: vere enim Deus omnipotens est, sed nō facit vt contradictoria simul sint vera, id enim veritati eius repugnat, vt aliquid simul sit verum & falsum. Neque controuersia fuit inter Lutherum & nostros de personali substantia aut essentia corporis Christi, sed de veri & naturalis corporis naturali substantia, quam in vtero Virginis nobis per omnia, excepto peccato, similem Christus assumpsit. Quamuis autem modum quo corpus substantialiter præsens est, dicant supernaturalem & diuinum esse, & modum hunc dexteræ Dei nominent, tamen ita de illa substantiali præsentia loquuntur, vt eam corporalem aliquibus modis faciant: corpus enim Christi non quidem volunt localiter adesse, sed in eodē loco cum pane, & pani vniri absq; interuallo, deinde id aiunt manu ministri porrigi, ore eius qui sacrū panem accipit sumi: annon hæc modū aliquem corporalē indicant? Negant visibiliter & sensibiliter & localiter adesse, interim corporalem quendā inuisibilem & insensibilem modū fingunt, & cum id illis obijcitur,

Corporalē modū præsentiæ statuunt, etsi nō pure corporalem

citur, irascuntur, & nos ipsos calumniari aiunt, cumq; ipsorum verba proferimus, nos aliũ sensum illis affingere aiunt. Nos certè ea non aliter accipimus quàm sonant & vulgo accipiuntur: sed quia obscuris & ambiguis locutionibus delectantur, fit vt aliud forte ipsi dicant, aliud vulgus intelligat. Certe quomodo plerique ex ipsorum sectatoribus, de corporali præsentia Christi in cœna & sentiant & loquantur, non est obscurum.

De Cyrilli sententia.

Quoniam verò aduersarius suam sentẽtiam Cyrilli auctoritate tuetur, videamus quam recte id faciat: sed in Cyrilli sententia examinanda eo breuiores erimus, quod antea Oecolampadius, & Petrus Martyr, & nuper Christianus Hessiander, dilucide & copiose exposuerint quę sit Cyrilli sententia, vt mirum sit D. Andreæ credidisse aliquem fore cui fucum facere possit Cyrilli nomine, nisi forte id confidentem facit, quod scit nostrorum scripta in suo theatro nullum locum habere. Cyrillus igitur affirmat Filium corporaliter nobis vt hominem vniri, idque per benedictionem mysticam. Videamus quæ sit vnio illa qua nobis vnitur corporaliter, tum facile videbitur, an orali manducatione corporis Christi, quam aduersarij asserunt, per benedictionem mysticam id efficiatur, an verò alio modo. Certum autẽ est Cyrillum voluisse eo loco confutare Arianorum falsam interpretationem, qui asserebant Christum secundum

diuinam naturam vnum nobiſcum eſſe conſenſus & affectus vnitate, & ita inter Patrem quoque & Filium non eſſe naturæ ſed conſenſus & voluntatis vnitatem: itaque contra hos oſtendit fideles inter ſe & cum Chriſto naturaliter & corporaliter vnum eſſe. Deſcribitur autem huius vnionis ratio diligenter à Cyrillo cum alibi tum 26. capite 11. libri in Ioannem: ad quem locum etiam remittit lectorem ſequenti 27. capite, è quo ſuum teſtimonium D. Andreę deſumpſit. Porrò ex eo quod corporaliter Chriſto vniti ſimus, non ſequitur Chriſtum corporaliter pani vniri, aut nos ore noſtro corporaliter manducare corpus Chriſti, neque hoc ſęnſit Cyrillus, ſcribens nos per myſticam benedictionem Chriſto vniri.
1. Primum enim fideles tantum Chriſto corporaliter vniti ſunt, hi nanque ſunt vera membra corporis eius, & palmites huius vitis: de hac enim vnione Cyrillus loquitur, qua Chriſtus eſt caput noſtrum, & vitis cui vt palmites inſerti ſumus: Realis autem & oralis manducatio quam aduerſarij docent, iuxta illorum quoque ſententiam infidelibus quoq; & impijs communis eſt: Quare non eſt illa vnio de qua Cyrillus loquitur, aut illius vnionis cauſa.
2. Adhæc eandem ſtatuit vnionem qua Chriſtus nos ſecum, & inter nos vnum corpus efficit: Sumus autem vnum corpus inter nos etiam ſi longe ſeparati ſimus: non igitur vt cum Chriſto vnum ſimus requiritur vt corpus eius ſub-

ſtantiali-

ſtantialiter nobis, multo minus vt pani coniungatur. Itē Chriſtus ſic nobis vnitur & in nobis inhabitat, vt nos viciſſim vniamur Chriſto & in eo maneamus: non aūt ſubſtātialiter in Chriſto ſumus, ſed per ſpiritum & fidem: ſequitur ergo corpus quoq; nō ſubſtantialiter nobis vniri, & in nobis habitare, ſed per ſpiritum & fidem. Ac Cyrillus ipſe participationē ſpiritus facit principium noſtræ vnionis cum Chriſto: neq; hoc obſtat quo minus recte dicamur corporaliter Chriſto vniri, quoniam relationis terminus eſt humana Chriſti natura: cum qua primum ita corporaliter Chriſto vniti ſumus, quod naturā humanam cum Chriſto communem habemus: deinde quod carnis illius proprietatibus induimur per ſpiritum, & hoc proprium eſt illorum qui ſpiritualis corporis Chriſti membra ſunt: hi Chriſto capiti vt membra eiuſdem corporis coniuncti, cœleſtia dona & gratiam omnem quæ à Deo per eius carnem ad nos deriuatur percipiunt: percipiunt autem non corporali manducatione, ſed per fidem, per quam etiam vt Paulus docet Chriſtus habitat in cordibus noſtris. At dicas Cyrillum dicere per myſticam benedictionem Chriſtum nobis vniri corporaliter. Quæro primum an idem ſit myſtica benedictio, aut, vt alibi loquitur Cyrillus, myſticæ benedictionis virtus, atque oralis manducatio corporis Chriſti? Deinde an fideles tātum ſint membra corporis eius cum accedunt ad

Quō chrō corporaliter vniamur.

Myſtica benedictio.

mysticam benedictionem: an etiam ante & post communionem Eucharistiæ? Non negamus suo modo Eucharistiam esse instrumentum nostræ cũ Christo coniunctionis, sed dicimus eandem esse huius & Baptismi rationem, per quẽ etiam Christo vnimur & Christum induimus: quod etiam Hilarius docet lib. 9. de Trinitate. Vnimur autem in Baptismo Christo etiam corporaliter, hoc est vero eius corpori, vt ipse caput nostrum sit nos ipsius membra, neque tamen substantialis præsentia corporis eius in Baptismo statuitur, aut substãtialiter corpus Christi induimus; sic in cœna quoque propter corporalem vnionem cum Christo, non est statuenda realis & substantialis præsentia corporis Christi in pane, & oralis eius manducatio. In summa, si vox Corporaliter (vt Iacobus Andreę fatetur) Cyrillo non significat modum corporis, sed tantum verum corpus Christi, libenter fatemur nos in mystica benedictione accipere verum corpus Christi, sed spiritu & fide; ore autem corporis, aut manibus corporis, Christi corpus sumi & præberi quemadmodum ipsi asserunt, nunquã D. Andreæ ex Cyrillo probabit.

Baptismus.

Verba cœnæ sacramentaliter interpretãda.

Posteaquam asseruimus interpretationẽ aduersariorum, quod panis substantialiter & corporaliter sit corpus Christi, alienam esse à simplicitate verborum Christi, subiecimus, cum sacramentũ Christus his verbis instituat, ea sacramentaliter accipiẽda esse, vt sic statuamus Christum

ſtum præſentem, quemadmodum ſacramentis ecclesiæ adeſſe conſueuit, & quemadmodum corpus eius edi poteſt ſpiritualiter. Hic verò nos omnem præſentiam corporis Christi abnegare ait. Zuingliani, inquit, non aliam agno- " ſcunt præſentiam corporis Christi in cœna quã " in veteris teſtamenti ſacramentis. Sed in vete- " rum ſacramentis Christus humanitate ſua non " fuit præſens, ſed tantum diuinitate: Ergo in cœ " na quoque domini nullo modo corpore præ- " ſens eſt. Videtur autem ſibi ipſi valde in hóc ar gumento placere, nam id denuò repetit pag. 25. Prouocat etiam ad iudicium Christianorum, haud dubiè eorum quibus non licet noſtram defenſionem legere, apud hos enim calumnijs huiuſmodi nos opprimi poſſe ſperat.

Vide autem quæſo Christiane lector quàm candide nobiſcum agat. Nos in genere propoſuimus verba Christi ſacramentaliter accipienda eſſe, quod adſit cœnæ ſicut alijs ſacramentis, atque pagina 9. quæ ſit communis ratio ſacramentorum, expoſita Baptiſmi & cœnæ inſtitutione, oſtendimus? Ille autem nulla Baptiſmi mentione facta fingit nos tantum de veterum ſacramentis locutos. Nam quia non ignorat veteres docuiſſe eandem eſſe rationem Baptiſmi & cœnæ dominicæ, neque tamen quenquã propterea vnquam aſſeruiſſe realem & ſubſtantialem carnis & ſanguinis Christi præſentiam in Baptiſmo, vt ſcilicet Chriſtum corpora-

liter induamus: Itaque hunc locum, qui suo instituto aduersabatur omittit, & tantum mentionem facit sacramentorũ veteris testamenti, atq; coram plebe se iactat, & illis oculos perstringit, Christi caro tum nondum fuit, igitur nullo modo præsens fuit. Cum autem res aliqua multis modis præsens esse possit, tamen non pudet eum nobis impingere, idque sępissime, quod omnem prorsus præsentiam carnis Christi negemus, quando Corporalem & Vbiquisticam eius præsentiam negamus.

An Christus ueteribus tantum ut Deus adfuerit.

Quod autem ait veteribus Christum tantum vt Deum adfuisse, hoc nemo sanus illi concesserit: substantiali quidem & corporali præsentia non adfuit illis caro Christi & sanguis, non tamen ideo Christus tantum vt Deus illis adfuit, quomodo enim alioqui Mediator eorum fuisset? an absque Mediatore seruatos dicet? An non vero Christus agnus est occisus ab origine mundi, cuius agni morte & sacrificio si veteres salutem adepti sunt, nequaquam illo in vniuersum caruerunt? Annon veteres eundem spiritualem cibum & potum nobiscum ederunt? Scio quosdam & præsertim Serueti discipulos, negare veteribus communionem carnis Christi, sed aliter sensit vetus ecclesia, id quod ex Augustino multis testimonijs ostendi potest: Contra Faustum lib. 19. cap. 16. & lib. 20. cap. 21. In Psal. 77. In Ioannem tract. 36. Item de vtilitate pœnitentiæ. Durauit hæc sententia

Veteres in suis sacramentis habuerunt cõmunionem carnis Christi.

ſententia diu poſt Auguſtini ætatem, id quod apparet ex Bertramo qui verba Pauli ſic interpretatur. Quæris fortaſſe quam eandem? Nimi- " rum ipſam quam hodie populus credentium " in eccleſia manducat & bibit. Non enim licet " diuerſa intelligi, cum vnus idemque Chriſtus " eſt, qui & populum in deſerto, in nube & in ma " ri baptizatum ſua carne pauit, ſuo ſanguine " tunc potauit, & in eccleſia nunc credentium po " pulum, ſui corporis pane, ſui ſanguinis vnda pa " ſcit ac potat. Et mox. Mirum certe (quin incom- " præhenſibile & inæſtimabile) nondum homi- " nem aſſumpſerat, nondum pro ſalute mundi " mortem guſtauerat, nondum ſanguine ſuo nos " redemerat, & iam noſtri patres in deſerto per e- " ſcam ſpiritualem potumque inuiſibilem eius " corpus manducabant, & eius ſanguinem bibe- " bant, velut teſtis exiſtit Apoſtolus clamans, E- " andem eſcam ſpiritualem comederunt, &c. Et " mox: Ipſe nanque qui nunc in eccleſia omnipo " tenti virtute panem & vinum in ſui corporis " carnem & proprij cruoris vndam ſpiritualem " conuertit, ipſe tunc quoque manna de cœlo da- " tum corpus ſuum & aquam de cœlo profuſam " proprium ſanguinem inuiſibiliter operatus eſt. "
Eodem modo Paulum interpretatus eſt olim Brentius in Exegeſi primo edita anno 1529. Iam & patres ait ante Chriſtum ederũt fide corpus & ſanguinem Chriſti, non autem per hoc noſtrum ſacramentum, ſed per ſua. Signa enim

pro temporis ratione mutantur, ſed veritas ſi-gnorum & res ipſa ſemper ab orbe condito di-ſtributa eſt credentibus, nunc per hoc, nũc per illud medium, prout domino noſtro placuerit. Quidam etiam vir doctus noſtræ ætatis ex Lutheranorum numero ita ſcribit: Quæri poteſt an non aliud præterea in noſtris ſacramentis confertur, quam tum conferebatur. Sane cum idẽ ſit Chriſtus, qui & illis & nobis donatus eſt, profecto qui aliud nobis in noſtris ſacramentis dari contendunt, lacerant Chriſtum, & ſpoliant eum diuina ſua potentia. Quare ſicut pie dicitur, occiſus eſt ab initio mundi, ita etiam ab initio mundi, caro eius fuit cibus, & ſanguis eius potus electorũ. Itaq; ſententia D. Andreæ, quod Chriſtus veterum ſacramentis adfuerit vt Deus tantum, humanitate ſua nullo modo illis adfuerit, repugnat ſacris literis, & ſententię veteris eccleſiæ, & doctiſſimorum hominum noſtræ ætatis interpretationibus. Iactant omnipotentiam Dei, corpus Chriſti aiunt extra & ſupra omnẽ locum & tempus eſſe, cur ergo negant veteres ediſſe corpus Chriſti in ſuis ſacramẽtis? Certè ſi ſupra tempus eſt corpus Chriſti, etiã veteribus adeſſe potuit: aut ſi nõ agitur de locali & corporali præſentia, potuit etiã illis præſens eſſe ſpiritualiter. Sed homines iſti negant ſe localem pręſentiã affirmare, neq; corporalẽ præſentiæ modũ intelligere per verbũ corporaliter, & tamen cum ab alijs affirmatur veri corporis pręſentia,

ſed

ſed quę nõ ſit localis & corporalis, verũ ſpiritua lis, id ferre nõ poſſunt, & vt hæreticũ damnant.

Obieceramus præterea eos contraria aſſe‑rere, Corpus Chriſti adeſſe corporaliter & ſub‑ſtantialiter, ac idem corpus carnaliter nec viſibi liter adeſſe: quare ſi quod poſterius affirmant & verum eſt, retinere velint, negandũ eſſe quod corporaliter & ſubſtantialiter adſit, & ita poſſe concordiam iniri. Hic verò proteſtatur coram eccleſia ſe nihil malle quam vt diſſidiũ hoc tol‑latur: & homo ſcilicet pacis & concordiæ amãs ſtudium hoc ſuum egregiè hactenus oſtendit: nam ſi calumnijs & conuitijs, & ſophiſtica am‑biguiſque locutionibus concordia aliqua ſtabi liri poteſt, in eo egregiam operam nauauit: & nuper Academia Vitebergenſis fructum pere‑grinationum illius ſenſit, & quam ſit pacis & concordiæ ſtudioſus experta eſt. Cum ſuperio‑ribus annis Tigurum veniſſet, neminem mini ſtrorum ſalutauit, cum nullo vel verbũ de hac controuerſia contulit, tam nos amat & eccleſiæ pacem quærit. Equidem cum Illyrico vt con‑cordiam ſeruet video eum laboraſſe, & in eo ſuã auctoritatem Marpachium interpoſuiſſe. Ferri poteſt Illyricus; quem tamen fratres ſui Mani‑chæiſmi arguũnt, & abſurda ac portentoſa eius dogmata cõmoda interpretatione lenire ſtudẽt; nos verò catharmata ſumus & peripſemata, indigni colloquio tantorum virorum. Cæte‑rum nullam eſſe in ipſorum affirmationibus

nec

Not. B.

Illyricus.

contradictionem tum probabit, vbi ostenderit verum corpus humanum, non esse circumscriptum, & sensibile ac visibile: hoc enim posito, corpus poterit substantialiter non tamen carnaliter & uisibiliter adesse: hoc est, si corpus nō sit corpus, hæc de illo dicentur.

CAPVT II.

Simplex & perspicua doctrina de Cœna domini & præsentia atque manducatione corporis & sanguinis Christi.

Calumnia D. Andreæ.

HOC capite D. Andreas nostræ confessionis quam breuiter scripturæ sacræ verbis exposuimus, confutationē aggreditur: ac primum reprehendit quod absq; scripturis asseramus Christi corpus spiritualiter præsens esse, & per fidem manducari. Quo loco iterū sophistica eius apparet: neque enim nos hic diximus spiritualiter Christum pręsentem esse (etsi libenter agnoscimus spiritualem præsentiā) sed Christum diximus in cœna pręsentem esse iuxta suā promissionem, ac verum eius corpus & sanguinem edi, & bibi spiritualiter per fidem ad vitam æternam. Ille autem omissa hic mentione manducationis, tantum mentionem facit nudę præsentiæ, & vocem Spiritualiter fingit nos non ad modum præsentiæ & ad nos ipsos referre, sed ad corpus Christi. Aperta igitur calumnia est, quod nos ait ita interpretari verba Christi, Hoc est cor-

est corpus meum spiritualiter, vt per corpus intelligatur spiritus sanctus. Ac postea pagina 29. verbum inquit Spiritualiter Zuinglianis, nihil aliud significat quam spiritum sanctum eiusq; gratiam & operationem. Cum obijcitur aduersario ipsos crassam & corporalem præsentiã atque manducationem carnis Christi asserere, indignatur, & profert Lutheri verba asserẽtis carnem & manducationem de qua Christus loquatur, spiritualem esse, atque spiritualiter intelligi oportere, Rursus cum nos spiritualem præsentiam & manducationẽ asserimus, id quoq; ferre non potest, nosque impostores vocat, & qui hominibus verba demus. Sed qui nostra scripta legunt, facile vident nobis ab illo insignem iniuriam fieri. Sæpe namque & apertè docuimus, aduerbiũ Spiritualiter, ad fidei nostræ notitiam referri: cum enim fides nostra sit donum spirituale, & animus noster quo complectimur corpus Christi sit spiritus, quomodo intelligi potest illud adesse nisi spiritualiter? Est enim consentaneum rationi, vt res quæ alicubi suscipiatur, modum suum ab eo habeat à quo suscipitur. Itaque quemadmodum quæ sensu recipiuntur, dicimus adesse sensibiliter, ita ea quæ recipiuntur fide & spiritu, dicimus adesse spiritualiter. Veteres semper dixerunt hunc cibum esse spiritualem, qui spiritũ & animã pascit. Vt autem anima pascatur, necesse est vt cibus eius spiritualiter accipiatur. Corpus igitur Christi

Pag. 35.

Spiritualiter. 24.

Not. B..

Corp9 Christi spualis cib9. 12.

est spiritualis cibus animæ, quia spiritum nostrum alit: edit autem corpus Christi spiritualiter, qui credit ipsius corpus sanctissimum pro nobis passum & mortuum. Vbi enim fides vera est, anima verè alitur. Vnde Petrus Christo inquit: Verba vitæ æternę habes, & credidimus & cognouimus te esse Christũ illum filiũ Dei viuentis. Hæc erat manducatio carnis Christi, de qua concionatus fuerat: quod si ore quoque corporis eadem manducanda fuisset, hæc Petri confessio vt imperfecta, & qua nondum Christi sententiam de manducanda carne sua assecutus esset, reprehendi debebat.

An verbis Christi probetur oralis manducatio.

Frustra autem ex verbis cœnæ nostram sententiam confutare conatur D. Andreas, & oralem manducationem carnis Christi probare. Christus (inquit) discipulis dixit, Accipite, edite, bibite, quod fecere ore corporeo: sed hoc quod edere & bibere iussit, dixit esse corpus suũ & sanguinem suum: & nullam neque fidei neque spiritualis manducationis mentionẽ fecit, neque signi aut figuræ. Ergo ore corporeo, non per fidem aut spiritualiter corpus Christi ederunt & sanguinem biberunt. Etenim hoc argumentum plane Sophisticum est, vbi aliud in minore assumitur, seu aliud genus prædicationis adhibetur, quam in maiore fuerit propositum. Christus enim in cœna verum & substantialem panem fregit & discipulis dedit, ac hunc edere iussit: similiter vinum illis bibendum dedit: hęc

Not. B.

autem

autem ore corporeo illos ediſſe & bibiſſe non eſt dubium. Quod ſi obijciat non tantum panē & vinum datum diſcipulis, ſed de ipſo quoque domini corpore & ſanguine dictum, edite, bibite: quærimus an eodem ſenſu quo de pane & vino ſacræ cœnæ dicitur, verbū edendi & bibendi de corpore & ſanguine domini accipiendum ſit? Si hoc dixerint, aperte ſe Capernaitas produnt: Panis enim & vinum non tantum ore ſumuntur, ſed in ſtomachum demittuntur, & in alimoniā corporis abeunt, quod de Chriſti corpore & ſanguine nemo ſanus dixerit. Sin alius eſt modus quo corpus Chriſti editur, quā quo panis manducatur, eumque nos ex verbis Chriſti Ioannis 6. oſtendimus: fruſtra ex eo quod ſymbola ſacra ore ſumuntur, conficere conatur ipſum corpus Chriſti oraliter abſque fide manducari. Nam vt legitime hoc argumento id conficiatur, ita formandum fuit: Quod Chriſtus in vltima cœna diſcipulis dedit, & edere ac bibere iuſſit: id voluit ore corporeo edi & bibi ab illis, atque id factum eſt ab eis. Sed hoc ipſum quod illis dedit atque ipſi acceperunt, panis inquam & vinum, vere ſubſtantialiter & eſſentialiter eſt corpus & ſanguis Chriſtj: vel in hoc & cum hoc pane & vino realiter & ſubſtantialiter coniunctum corpus ſuum illis edendum dedit. Ergo verum & ſubſtantiale corpus Chriſti ore editur & ſanguis eius bibitur. Sed huius argumenti aſſumptio nequaquā à nobis conceditur, ſed

N. B.

Acute.

idipſum eſt de quo controuertitur, neque hic proprius eſt ſignificatus verborum cœnæ, neque legitima et genuina ipſorum interpretatio.

Spiritualiter, non eſt humanæ inuentionis uerbum.

Etſi autem in ipſa inſtitutione cœnæ non dicitur expreſſis verbis, corpus Chriſti ſpiritualiter & per fidem manducandum eſſe, non tamen propterea ſequitur, id humanam additionem eſſe, quoniam idem alibi docet Chriſtus ipſe & Paulus apoſtolus. Hic enim ſcribit veteres eundem cibum & potum ſpiritualem nobiſcum ediſſe & bibiſſe. Bibiſſe enim de ſpirituali quæ illos comitabatur Petra, Petram autem fuiſſe Chriſtum. Quod ſi hic cibus & potus fuit ſpiritualis, ſequitur eum ſpiritualiter percipiendum fuiſſe. Quoniam ſicut res viſibilis viſu percipitur, audibilis auditu; quæ eſt intellectibilis intellectu: ita quæ eſt ſpiritualis ſpiritu percipitur, quod non poteſt intelligi niſi per fidem, nō autem ore & lingua vel palato. Etſi autem conſtat non omnes Hebræos fidem habuiſſe, recte tamen dicit omnes eſcam ſpiritualem comediſſe: loquitur enim Paulus de eſca cuiuſmodi erat per ſeipſam, non ſpectans quantum quis ex ea perciperet. Deus in ſacramentis non tantum ſigna, ſed res quoque ſignatas offert fide percipiendas. Multi tamen non accipiunt rem ſignificatam: vnde de his patribus dicitur Ioan. 6. comediſſe eos Manna, & mortuos eſſe. Vnde D. Auguſtinus de fidelibus in hunc locum ſcribit, Manducauit Manna Moſes & Aaron, & Phinees

Phinees, manducauerũt quoq; ibi multi qui domino placuerunt & mortui non sunt. Quare? Quia visibilem cibũ spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustarunt, vt spiritualiter satiarentur. De illis autẽ qui carnaliter sacramentum hoc vsurparunt idem scribit, Non propterea definit esse spirituale, sed tibi non est spirituale.

Quod autem denuo obijcit nos prorsus nullam præsentiam corporis Christi in sacra cœna credere, eo quod dicamus Christum adesse in cœna quemadmodum semper sacramẽtis affuerit: supra primo capite refutauimus. Attamen vt maius pondus suo argumẽto addat, citat hæc nostra ex 5. capite. Dominus ascensione sua terras ita reliquit, vt ante extremum iudicium non amplius corporaliter in ecclesia adsit, sed spiritu suo & diuina virtute suis adest vsque ad finẽ seculi. Hinc autem concludit nos simpliciter negare veram præsentiam corporis Christi. Sed quænam hæc est consecutio, Christus humanitate sua non est amplius in terris corporaliter præsens: Ergo nullo modo humanitate sua vere præsens nobis est? Constanter quidem negamus humanam Christi naturam, siue corpus Christi, substantialiter & realiter in his terris præsens esse, nam vbi substantia sua realiter adest, ibi etiam adest localiter: cum sit verum & circumscriptum corpus, partes extra partes habens: sed cum preter hanc absoluti corporis pre

Falso dicit nos omnem presentiam corporis Christi negare.

ſentiam, qua ſimpliciter & actu primo præſens eſſe dicitur, alij quoq; modi veræ præſentiæ ab ipſis aduerſarijs ſtatuantur, an non manifeſta iniuria eſt, quod aiunt nos Chriſtum nullo modo præſentem credere, quia hanc realem præſentiam negamus?

Non dicimus tãtum ſpiritũ ſanctum præſentem eſſe.

Præterea cum dicimus Chriſtum ſpiritu & virtute ſua præſentem eſſe, male id interpretatur D. Andreas, quod tantum præſentem eſſe ſpiritum ſanctum confiteamur: & cum quęſtio ſit de præſentia corporis Chriſti non autem de ſpiritus illius præſentia, quam omnes pij ſemper crediderint, nos tantum de ſpiritu reſpondere, atque hoc modo verba cœnæ in quibus dicitur, HOC EST CORPVS MEVM, peruertere, dum ſpiritualiter præſentem docemus. Sed vt paulo ante docuimus, iniuriam nobis facit toties ſcribens verbo Spiritualiter nos tantum ſpiritus præſentiam indicare, non autẽ modum præſentiæ quo corpus ipſum Chriſti præſens ſit. Ac ipſis reſponſionis noſtræ verbis hęc calumnia redarguitur: ſcripſimus nanque verum corpus & ſanguinem Chriſti ab anima noſtra interne per fidem ſumi & percipi; item verum corpus & ſanguinem Chriſti ſedentis ad dexteram Dei, ipſum inquam corpus, eſſe cibú vitæ æternæ, quam fide percipiamus, &c. Quoties enim de hoc ſpirituali cibo loquimur, nõ ſeparamus ſpiritũ à carne Chriſti, ſed ipſam Chriſti carnem cibum hunc agnoſcimus: vocamus

Caro Chriſti quomodo ſit noſter cibus.

autem

autem spiritualem cibum relatione nostri, nos enim non carnaliter, sed spiritualiter edimus illum cibum per fidem, & in virtute sancti spiritus, & quod spiritus Christi, qui non minus realis est quã caro Christi, satiat nos carne Christi tradita pro nobis et effuso sanguine, qui Christi veri Dei hominis spiritus est. Nam non spiritus tantum, neque caro tantum, sed spiritus & caro, totus inquam Christus nos cibat & saluat: ita vt corpus Christi residens in cœlis ad dextrã Patris, vitã carne sua in morté tradita partam, spiritu suo viuifico effundat in corda fidelium ipsosque viuificet. Quare non decipimus homines, & verba illis damus, cum interrogati de prę sentia carnis Christi, negamus Christum humanitate sua corporaliter & substantialiter præsentem esse, & tamen nihilominus dicimus veram Christi carnem spiritualiter percipi à nobis, & spiritu, gratia atq; efficacia sua Christum Deũ hominemq; nobis adesse. Illi potius præstigiatores sunt, qui asserunt realem & corporalem præsentiam carnis Christi, interim carnem hãc sua natura spoliant, & pro vera humana carne prę sentem fingunt vbiquariã carnem, inuisibilem, insensibilem, incircumscriptam: quæ tamé alibi sit visibilis & sensibilis & circumscripta: quæ adsit corporaliter & non corporaliter: naturaliter & non naturaliter: substantialiter & non substantialiter: modo scilicet non naturali aut corporali, neque naturali sed personali es-

Nõ nos sed aduersarij pręstigiatores sunt & homines decipiunt.

ſentia, cœleſti & ſupernaturali modo præſens ſit. Hæc ſunt ludibria & præſtigiæ verborum, quibus Vbiquiſtæ gaudent, tenebræ in quibus latent, ambiguitates verborum quas amant. Et
Pag.27. cum his ſophiſticis latibulis ſe tueantur, & obſcuris locutionibus non è ſcriptura ſed philoſophia petitis, quaſi ſepiæ atramento, ſe tegere conentur, tamen non pudet ipſos nobis obijcere quod non audeamus libere noſtram ſententiā profiteri, quam toties ſcripto & voce, publice clare & perſpicue profeſſi ſumus, neque vnquā in poſterum eandem profiteri pigebit: quando quidem certi ſumus hanc ſacris literis & veteris eccleſiæ doctrinæ conſentaneam eſſe.

Pergit deinde D. Andreas in repræhenſione noſtræ confeſſionis: quamuis id potiſſimum ſe agere ſimulet vt noſtram ſententiam perſpicue exponat, ſententiam enim noſtram patefacere, inquit eſſe illam confutare: ſicut de Valentinianis Irenęus ait. Quaſi verò nos obſcuras aliquas fabulas & Aeonum ſeriem contexamus, inſtar Valentinianorum, aut impia aliqua dogmata clam alamus, quæ detecta ſua impietate totam doctrinā deteſtabilem reddant. Scit nos multis & varijs ſcriptis noſtram ſententiam ita perſpicue & dilucide Dei beneficio publice expoſuiſſe, vt nemo de ea dubitare poſſit, qui modo illa legere voluerit: ſed ipſe cum ſuis ſtudioſe cauet ne noſtra ſcripta legantur, & ſententia noſtra cog noſcatur, & mendacia eorum quæ contra nos

tra nos ſpargunt patefiant. Tria porro hic in noſtra expoſitione repræhendit tanquam à ſcripturis aliena, ab hominibus excogitata, & Chriſti inſtitutioni addita. Primum, quod iubemus corda in cœlos attollere, ſi corpore Chriſti veſci voluerimus. Quærit enim vbi hoc Chriſtus in vltima cœna dixerit, & nobis in memoriã reuocat, quod promiſerimus nos nullis verbis vſuros niſi quibus Chriſtus & Apoſtoli vſi ſunt. Equidẽ id & promiſimus, & præſtitimus in confeſſione breui fidei noſtræ de cœna domini, quam initio huius capitis propoſuimus: ſed id non obſtare debuit nobis, quo minus liceret eandem confeſſionem explicare alijs verbis, quorum ſenſus ex ſacris literis deſumptus eſſet: quare hic de ſenſu agendum erit. Poteram autem illi hic auctoritatem veteris eccleſiæ obijcere, in quã publico pręconio SVRSVM CORDA, omnes admonebantur, vt in ſacramentorum adminiſtratione & perceptione corda in cœlos attollerent, ſed nolumus humana tantũ auctoritate niti, verum reuocamus D. Andreã ad Chriſti concionẽ Ioannis 6. cap. in qua diſſerens de manducatione carnis ſuæ, & ſe nominans panem qui de cœlo deſcendit, cum multi offenſi fuiſſent eius ſermone, Quid, inquit, ſi conſpiceretis Filium hominis aſcendentem eo vbi erat prius? Spiritus eſt qui viuificat, caro nõ prodeſt quicquam: Verba quæ ego loquor vobis, ſpiritus ſunt & vita ſunt. At quorſum men-

Corda in cœlum attollenda.

tionem facit aſcenſionis in cœlum, niſi vt moneat quæ de manducatione carnis ſuæ dixit, nō terreno modo accipienda eſſe, ſed in cœlis quærendum corpus ſuū et ſpiritualiter comedendū, aſſerit enim verba ſua, quæ nempe de manducatione carnis ſuæ dixit, ſpiritū eſſe & vitam. Præterea cum Apoſtolus iubeat nos ea quęrere quę ſurſum ſunt, & teſtetur conuerſationem noſtrā in cœlis eſſe vbi Chriſtus, quid quæſo peccamus docentes in cœna domini animos in cœlos attollēdos eſſe, & illic quærendum Chriſtū: ſicut vetus eccleſia ſemper docuit? At inquit, Chriſtum, etſi corpore ſuo aſſideret diſcipulis, non tamen iuſſiſſe vt in ſe oculos conuerterent, ſed oculos Apoſtolorū ad panē, aures ad verba ſua dirigi voluiſſe. Si igitur demōſtratiua particula Hoc, non oſtendit corpus Chriſti ſed panē, ita enim oculi diſcipulorum ad panem dirigebantur, cur negat alibi verba Chriſti, Hoc eſt corpus meum, idem eſſe atque panis eſt corpus Chriſti? Fatetur panem oſtendi & demonſtrari diſcipulis, de hoc autem dicebatur verbum quod auribus percipiebāt, Hoc eſt corpus meū. Quod ſi Chriſtus noluit Apoſtolos reſpicere corpus ſuum quod tamen coram aderat: igitur vel pani tantum & vino, externis elementis, affixam & intentam voluit eſſe fidem diſcipulorū: vel ad aliud corpus eos remiſit, quàm quod aſſidebat illis, & quod poſteà pro nobis in ſacrificium Deo patri obtulit: ſed cum neutrum à

pio

pio homine affirmari possit: sequitur Christum voluisse mentes discipulorum altius attollere, vt considerarent se mediatorē & redemptorem, qui corpus suum in sacrificiū patri offerens nos à morte redemerit saluarit & viuificarit. Ideoq; non absolutè dicit, Hoc est corpus meum, sed addit, Quod pro vobis traditur: Hoc facite in mei cōmemorationem: quæ cōmemoratio in celebranda & annuntianda morte domini posita est, vt Apostolus docet. Cum autem fide amplectimur hæc beneficia Christi, imo Christum ipsum cum omnibus suis beneficijs, certe non alibi Christum quærimus quam vbi eum nobis sacræ literæ ostendunt, sursum & in cœlis, non autē in terris hic vel illic, Antichristi enim sunt qui eo modo nos Christum in terris quærere iubent. Not: B.

Quærit itē vbinam Christus in cœna sua dixerit corpus suum ab anima per fidem suscipi debere? Item vbi nam dixerit corpus suum spiritualiter comedendum esse: sic vt vox spiritualiter significet spiritum Christi, vt scilicet iubeat spiritum suum, gratiam, & operationem diuinam edere? Adeò enim illi placet calumniosa & falsa interpretatio huius vocis, vt non pigeat eandem sæpe repetere: cum tamen non ignoret quomodo vocem spiritualiter accipiamus. Nos verò vicissim ab illo quærimus vbi nam Christus dixerit, Corpus suum ore corporeo comedendum esse, aut homines impios ore suo ip-

Corpus Christi per fidem sumi, & spiritualiter edi.

Pag. 19.

ſum Chriſti corpus ſuſcipere. An verò corpus Chriſti eſt corporeus cibus, an cibus animæ fidelis? & ſi animæ cibus, quid peccamus iubentes animo per fidē ſeu ſpiritualiter corpus Chriſti comedere, ſicut Chriſtus ipſe docuit Ioannis 6. cap.? Neque negare poſſunt aduerſarij ſpiritualem manducationem quæ ſola viuifica eſt; ſed fingunt in cœna oralem præterea manducationem, quam tamen non alio argumento probant quàm verbis Chriſti, Hoc eſt corpus meū, de quo ſupra diximus, & plus millies oſtendimus, eos idipſum pro argumento afferre, quod in quæſtione poſitum eſt, atque ita petere principium.

Chriſtus nō eſt cibus ventris.

Addit non opus fuiſſe docere ipſos corpus Chriſti non eſſe cibum ventris noſtri, ſe enim nunquam hoc cogitaſſe, docuiſſe, aut ſcripſiſſe. Rectè ſanè, quod à tanta abſurditate abhorrent: ſed cauere debebant ne ea dicerent & ſcriberēt, ex quibus tam abſurda conſequantur, quādo ſcilicet affirmant Chriſtum corporaliter adeſſe, corporaliter manducari, idque ore noſtro corporeo. Chriſtus enim ipſe docet cibos qui per os corporis ingrediuntur, in ventrem deſcendere. Quare ſi corpus Chriſti non eſt cibus ventris, non ſumitur ore corporeo: omnis enim cibus qui ore corporis ſumitur, ventris noſtri cibus eſt.

Nos nō negamus corpus Chriſti eſſe cibū uitæ æternæ.

Subijcit aliam accuſationem, quam pari candore atque reliqua proſequitur. Scripſimus vir-

tutem

tutem fidei per ſpiritum ſanctum operari in fidelibus vt viuant. Reſpondet, etſi virtute ſpiritus ſancti per fidem viuamus, tamen cum ante vſum cœnæ pij fide & ſpiritu ſancto præditi ſint, queri quiſnam ille cibus ſit, quo fides & dona ſpiritus ſancti in vſu ſacramentorum augentur: Atque hunc cibum eſſe corpus & ſanguinẽ Chriſti, de quo Zuingliani nullam mentionem faciant. Sed hæc verbis noſtrę reſponſionis confutantur: etenim apertè ſcripſimus, verum corpus & verum ſanguinem Chriſti ſedentis ad dextram Dei, eſſe cibum, non quidem ventris qui dentibus atteratur vt externum ſymbolum, ſed qui fide percipiatur ad vitam. Ac poſteà rurſus expoſuimus, quomodo Chriſtus ſit noſter cibus & potus: Sicuti namque cibo & potu corporeo ſumpto homines aluntur in hac vita temporali, ita Chriſtum eſſe cibum ſpiritualem æternæ vitæ, ſi fide ipſum comedamus. Non ergo controuerſia eſt an Chriſti corpus & ſanguis ſint cibus vitæ æternæ: ſed de manducatione horum controuerſia eſt. Nos volumus hæc ſpiritualiter manducari per fidem, qua manducatione Chriſtus in nobis manet & nos in Chriſto, ac volumus Chriſti corpus eſſe cibum noſtrum & potum quatenus pro nobis in morte traditum eſt: quandoquidem ex verbis Chriſti conſtat, idipſum hoc modo & non abſolutè nobis in cœna offerri: Aduerſarij verò loquuntur de orali manducatione. Sed ſi corpus Chriſti

oraliter manducatum fidem nutrit, quomodo nihil hinc percipiunt commodi impij homines qui & ipsi oraliter Christum manducāt? Quod autem dicit etiam extra cœnam Christum spiritualiter per fidē à nobis manducari posse, equidem id non inficiamur: sed cum sacramenta à Christo sint instituta vt sint sigilla, & visibile verbum, scimus ea ex Christi instituto efficacia esse, spiritu sancto in cordibus operante. Vbiquistæ qui corporalem manducationem vrgēt, asserunt corpus Christi vbique præsens, & in omni pane, in omni vino, in omni re maxima minimaque Christum totum Deum hominemque præsentem esse, & cum illis obijcitur fore vt in omni pane edamus corpus Christi: negant, quia verbo se alligarit huic pani, vt Lutherus loquitur, aut quod ex instituto Christi in cœna tantum distribuatur edendus. Cur igitur nobis non concedunt, vt dicamus Christū etsi semper à pijs fide comedatur, tamē cū ipse instituerit hoc sacramentum, singulari efficacia sui spiritus huic adesse & operari in pijs. Quare etsi ante fidē habent & spiritu præditi sunt, tamē fides sua augmenta habet, & quotidie arctius Christo vnimur, & inædificamur super hunc lapidem angularem, atq; ita fide & spiritu accipimus Christū & manducamus, credentes ipsum corpore pro nobis tradito & sanguine pro nobis effuso nostra peccata expiasse, nos saluasse & redemisse: non quidem nouum quid accipimus

Et extra cœnam fide editur Christus, & in cœna, ad augendā fidem & nostrā unionē cū Christo.

mus quod non habemus: neque etiam corporalis manducatio nouum quid conferre poteſt; ſi corpus Chriſti vbique præſens eſt: ſed eorum donorum quæ ante habebamus, incremēta ſentimus. Sicut autem vt viuam fidem accipiamus, non eſt neceſſaria corporalis Chriſti præſentia aut oralis manducatio, cum fides ſit ſpirituale chariſma: ita ad eandem fidem conſeruandam & augendam, non eſt neceſſe Chriſtum corporaliter præſentem ore corporis manducari.

Porrò quod D. Andreæ affirmat, nos in diſtributione ſacramenti abhorrere à verbis Chriſti, & pro illis alia ſubſtituere, Accipite, edite, fides tua in corpus Chriſti pro te traditum ſeruat te ad vitam æternam: Falſum & fictum eſt. Nos enim in noſtra eccleſia inſtitutionem Chriſti integram recitamus, neque quicquam in verbis domini immutamus, non tamen eſt moris noſtri vt ſingulos in ipſa cōmunione ſeparatim alloquamur. Cum enim hæc publica actio ſit totius eccleſiæ, ſatis nobis eſt eccleſiam de Chriſti inſtituto edoceri, vbi ne verbum quidem ab Euangeliſtis aut Apoſtolo traditum à nobis immutatur aut omittitur. Quod ſi alij formula hac vtuntur, cuius D. Andreas meminit, quod tamen neſcimus, non debebat id nobis obijcere, cum hic nominatim contra Tigurinæ eccleſiæ miniſtros ſcribat: & ſi vllus in ipſo pudor reliquus eſſet, à mendacio tam manifeſto & publico abſtinuiſſet. Neque enim ignorat quæ for-

Falſum eſt nos uerba Chriſti horrere et omittere.

ma administrandæ cœnæ domini apud nos in vsu sit, cum hæc publice extent: aut si ignorauit, imprudenter sane fecit, qui tale mendacium cũ nominis sui infamia spargere ausus est.

Exponit postremò suam sententiam de præsentia Christi in cœna domini, de qua antea scripsimus, & vt ostendat se cum suis non asserere crassam & Capernaiticã manducationem, adducit verba Lutheri qui ait, verba Christi spiritualiter intelligenda esse, de spirituali carne, verba enim domini spiritũ esse, ideoq; carnẽ & manducationem & omnia de quibus illic dominus loquitur spiritũ esse & spiritualiter intelligenda & accipienda esse. Quæ verba Lutheri nos probamus, etsi scimus alibi ipsum longè aliter scripsisse. Sed quærimus à D. Andrea: Primum cur ea quæ Lutherus scribit in explicatione verborum Ioan. 6. huc adducat, vbi de manducatione corporali quæ fiat in cœna domini quæstio est, quam ipse vult aliam esse à spirituali manducatione quæ Ioannis 6. docetur? Deinde si caro & manducatio & omnia hic sunt spiritualia, quomodo fit ore corporis? Si autem agnoscunt in cœna non aliam esse veri corporis Christi manducationem, quàm hanc quæ spiritualis est & Ioann. 6. describitur, nisi quod externa symbola in cœna accedunt, facile posset controuersia tolli. Sed ipsi aliam corporalem, oralem manducationem vrgent, & cum obijcitur hanc opinionẽ crassam & Capernaiticam esse,

respondēt se de spirituali manducatione loqui: quam tamen à priore diuersam fecerunt. Hoc autem impostura est & fucus, atque præstigiæ ad decipiendos homines aptatæ.

CAPVT III.

Quomodo sextum caput Ioannis recte adhibeatur ad explicationem Cœnæ Dominicæ.

IN hoc capite more solito D. Andreas, ea nobis adscribit quæ nunquā scripsimus & docuimus, deinde cōqueritur nos ad id quod in quæstione positum est non respondere, cum tamen aperte & perspicue de eo quod quærit, & in responsione ad Testamentū Brentij, & sæpe aliâs antehac nostram sententiā exposuerimus. Nos, inquit, ex sexto capite Ioannis conficere Christum cum pane non dare nobis suum corpus, sed solum spiritum suum, gratiam & efficaciam spiritus distribuere. Sed ante ostendimus hanc esse aduersariorum falsissimam calumniā, quod nos veram cōmunionem corporis Christi negare aiunt. Diximus & scripsimus & idem nunc asserimus, Carnem Christi & sanguinem eius esse cibum & potum cœlestem quo alimur ad vitam æternam. Sed dicimus carnem Christi sic esse cibum nostrum quatenus pro nobis tradita est, & sanguinem esse potum nostrum

Calumnia Andreæ quod uerā cōmunionē carnis Christi negemus.

quatenus pro nobis effusus est. Hunc autem cibum & potum docemus eo modo accipiendũ esse quem Christus docuit Ioannis 6. non ore corporis, sed per fidem quæ est os quodammodo mentis piæ. Deinde negat verba Christi, Caro non prodest quicquam, & Accipite edite, hoc est corpus meum, inter se pugnare. Quasi verò nos hoc asseramus. Scimus nullã esse contradictionem in verbis seruatoris nostri qui est ipsa veritas, sed hoc constanter affirmamus, Oralem manducationẽ quam ipsi fingunt in cœna Domini, contra verborum Cœnę proprietatem & verum atque genuinum eorum sensum, pugnare cum verbis Christi Ioannis 6. cap. Caro nihil prodest. Neque censemus blasphemam interpretationem esse, si hæc ad Christi carnem referamus: non quidem vt simpliciter & absolute dicamus carnem Christi nihil prodesse, hoc enim vere blasphemum esset: sed id Christus dicit de carne ore corporeo comesa. Cum enim Christus locutus fuisset de spirituali manducatione quæ fit per fidem, Capernaitæ autem intellexissent verba Christi de substantiali carnis ipsius manducatione, his verbis eorum error à Christo damnatur. Irascitur nobis Andreas quod tribuamus ipsis Capernaiticam manducationem, quam nunquã crediderint. Scimus quidem eos non asserere manducationẽ sensibilem carnis Christi, aut quæ particulatim fiat, quomodo carnes in macello concisæ manducantur

Verba Christi nõ pugnãt, sed oralis manducatio his contraria est.

Caro Christi ore comesa non prodest.

Capernaitica manducatio.

cantur, quam ipsi Capernaiticam vocant. Sed Capernaitarum error fuit quomodo dabit hic nobis carnem suam manducandam? existimabant carnem Christi substantialiter ore corporis manducandam. De hac manducatione, inquit Christus, Caro nihil prodest, Spiritus est qui viuificat. Verba quæ ego loquor Spiritus & vita sunt. Chrysostomus homil. 45. in Ioannem: Carnale est dubitare, Quomodo nobis possit Christus carnem suam ad manducandum dare, cum hoc sit mysticè & Spiritualiter intelligendum. Iuxta hunc igitur manducatio quā docent Aduersarij, cum non sit mystica & spiritualis, carnalis erit, & propterea Capernaitica. Quamobrem etsi aduersarij statuant insensibilem & inuisibilem & supernaturalem præsentiam corporis Christi, tamen quandiu asserunt corpus Christi realiter & substantialiter sumi & manducari ore corporeo, verbis quidem à Capernaitis crassioribus differunt, reipsa tamen cum illis conueniunt carnalem manducationē asserentes. Nam si Spiritualis est manducatio, non fit ore corporis: si non est spiritualis, tum est ex illo genere manducationis de quo dictū est à domino, Caro nō prodest, Spiritus est qui viuificat. Duę enim tantum manducationis species apud Ioannem indicantur: ac nuperū hoc cōmentum est, quo tertium genus manducationis statuitur, quo corpus Christi corporaliter comeditur, non tamen corporali modo, sed su-

Not. B.

Duplex mādu catio.

Sacramentalis manducatio.

pernaturaliter, ineffabiliter, inuisibiliter: quam manducationē etiam sacramentalē vocant, sed longe alio sensu quam veteres hoc nomine vsi sunt, qui dicebant corpus Christi sacramentotenus, aut in sacramento, vel sacramentaliter edi, quando editur sacramentum seu symbolum corporis Christi, quod mystica ratione vsitata in omnibus sacramentis, in quibus signum nomē rei signatæ accipit, corpus Christi nominatur.

An eadem sit manducatio carnis Christi. Ioan. 6. & Matth. 26.

Quærit an Christus de eadem manducatione corporis sui loquatur Ioan. 6. & in institutione cœnæ Matth. 26. Ac fingit nos lucem fugere, & nolle clare & perspicue respondere. Sed nisi oculi illi præ odio & inuidia cæcutirent, facile potuisset in nostra responsione videre, nos si de ipsa carne Christi vera & substantiali loquamur, eandem statuere manducationem Ioan. 6. & in cœna domini Matth. 26. quæ sit spiritualis & fiat per fidem: hoc tantum discriminis statuere, quod in cœna accedit externa manducatio symbolorū panis & vini, quæ sunt visibilia verba & sacra signa corporis & sanguinis domini. Sic autē olim sensit Brentius, qui cum suis symmystis Sueuis in Syngrāmate docuit, Christum sicut in Verbo ita etiam in sacramento oblatum fide tantum comedi. Ipse quoq; D. Iacobus Andreę antequam Præpositus & adeo infensus nobis hostis esset, ita de hac re scripsit:

In libello de cœna èdito 1557. pag. 58. b.

Etsi in sexto capite Ioannis non agitur de cœna domini, certi tamen sumus, ex superiori institutione,

tione, in cœna domini non tantũ panem & vinum, verumetiam corpus & ſanguinem Chriſti diſtribui. Chriſtus autẽ non habet duo corpora aut duplicem carnem, ſed vnicam carnem & vnum corpus, quæ caro vna cum pane in cœna diſtribuitur: atque de hoc Chriſtus Ioan. 6. loquitur. Neque aliud eſt diſcrimen, quàm quod Ioannis 6. cap. tantum de diſpenſatione carnis Chriſti loquitur, quę fit per verbum Euangelij: hic autem in ſacra cœna præter Verbum fit cũ pane & vino. Si autẽ vt hic affirmat eadem eſt diſpenſatio carnis Chriſti quæ Ioannis 6. & in ſacramento deſcribitur, niſi quod hic accedunt panis & vinum, quomodo quæſo non eodem modo recipiuntur quæ ſimiliter offeruntur?

At, inquit, manducatio corporis quæ deſcribitur Ioan. 6. eſt viuifica. Sed in cœna corpus Chriſti editur aliquando ad iudiciũ. Ergo non eſt eadem manducatio. Sed Ioann. 6. Edere eſt credere: in cœna autẽ iuxta clara Chriſti verba, edere eſt corpus Chriſti ore manducare, quod etiam indigni faciunt. In hoc argumento aſſumit pro confeſſo ab his qui indigni ſunt ipſum corpus Chriſti manducari, cum tamen Paulus de pane loquatur, Quiſquis ederit panem hũc, aut biberit hoc poculum domini indignè, reus tenebitur corporis & ſanguinis domini. Nominatur equidem hic panis myſticè corpus domini, ſed aliud eſt edere panem qui in ſacramento eſt corpus domini, aliud ipſum corpus domini

Paralogiſmus D. Andreæ.

verum & substantiale manducare. Itaque cum Ioannes loquatur de manducatione veri corporis Christi per fidem, Paulus de manducatione sacramenti externi quæ fit ore corporis, libenter fatemur has duas manducationes diuersas: & diximus in cœna mãducationi corporis Christi additam esse hanc externã symbolorũ manducationem: sed præter illam in cœna quoque offertur corpus Christi verum ad manducandũ vt cibus vitæ æternæ, corpus enim & sanguis Christi sunt rés cœlestes, signatæ per externa symbola: horum manducationem aliam esse ab ea quæ Ioannis 6. docetur, nondum euicit, neq; vnquam euincere poterit: nam quod ex verbis cœnę, Accipite, comedite, hoc est corpus meũ, probare vult ab impijs verum Christi corpus ore corporeo manducari, sæpe refutatum est, & ratio constare non potest, nisi prius probatum fuerit, hunc esse sensum verborũ cœnæ, Panem esse substantiale & naturale corpus Christi, vel in, sub, & cum pane realiter existere præsens, & coniunctum esse. Hoc autem in æternum probare non poterunt. Opinionem quidem huiusmodi ex Papisticæ artolatriæ reliquijs animo conceptam firmiter retinent, & conantur omnibus persuadere, hoc esse τὸ ῥητὸν, clarum & simplicem sensum verborum Christi, sed quam id falsum sit facile vident omnes, qui hac opinione non fascinati mediocri diligentia verba Christi expendunt. Et quoniã distinguunt manducationem

cationem corporis Christi quæ Ioannis sexto docetur, à sacramentali quę in cœna fit, nos quoque paucis veram distinctionem indicabimus. Ipsa caro Christi manducata viuificat. Ioan. 6. Oralis manducatio non viuificat. Ergo ipsa caro Christi non editur ore corporis, sed tantum panis, qui est sacramentum corporis Christi.

Negat etiam sacramentalem actionem sęparari posse à mãducatione corporis Christi, quoniam Christus tam dignos quàm indignos iussit edere suum corpus, non autem panem tantum edere iussit, & eos deinde qui credant corpus quoque per fidem edere. Hoc argumentum ex eodem fundamento falso quo & alia illius omnia dependet: fingit enim verba Christi, Accipite, edite, Hoc est corpus meum, intelligenda esse de orali manducatione veri & substantialis corporis Christi. At proculdubio id quod accepit & fregit & dedit discipulis, ore corporis manducari voluit, id autem erat panis. Quod si hic panis substantialiter esset corpus Christi, aut cum pane realiter coniunctum & quasi consubstantiatum esset corpus Christi, tum consequeretur omnes qui panem ederent ore corporis, eodem quoque corpus Christi edere, atque ita alia esset manducatio corporis Christi in cœna ab illa quæ Ioan. 6. traditur: sed vt sæpe diximus, huiusmodi præsentia corporis Christi, neque cum verbis cœnæ, neque cum proprio & genuino eorum sensu congruit. Porrò in sa-

Alius paralogismus.

cramento seu sacramentotenus ab omnibus qui ad cœnam accedũt comedi corpus Christi, hoc est signum corporis, quod nomen rei signatæ accipit, nemo negat: sed eos omnes rei signatæ participes esse qui signum accipiunt, non nos soli negamus, sed nobiscũ omnes veteres. Qua tamen de re alibi plura, vbi de manducatione impiorum scribimus.

Cap 4.

Postremo hinc vult probare aliam esse manducationem corporis Christi Ioannis 6. ab ea qua ipsum corpus Christi in sacra cœna manducatur: quia Edere Ioannis sexto est credere in Christum: at manducatione carnis Christi in sacramento confirmatur fides. Sed dicat nobis, an caro Christi in cœna absque fide manducata, fidem augere & confirmare possit? Id enim si dicat, etiam impijs tribuet incrementa fidei, qui aliquando non omni fide carent, sed temporariam fidem habent, & vna cum Papistis statuet opus operatum fidem & gratiam in nobis augere. Quod si in cœna caro Christi non nisi fide manducata, nostram fidem auget & confirmat, quomodo dicitur hæc manducatio fidem confirmans alia esse ab illa quæ Ioannis 6. fide fieri traditur? Lutherus ipse extra contentionis ardorem de hac re scribens, confirmationem fidei non tribuit orali manducationi, sed internæ & spirituali manducationi. Caro mea, inquit, vere cibus, & sanguis meus vere est potus, hoc est, qui credit in me, habet vitam æternam. Bibebãt

Oralis mãducatio nõ confirmat fidem.

Sermone 70 in Postilla magna: super Epist. 1. Cor. 10.

autem

autem de spirituali eos comitante Petra, quæ e- "
rat, Christus, hoc est credebant in eundem Chri "
stum, in quem nos credimus, quamuis nondũ "
carne exhibitus, sed post venturus esset. Atque "
huius ipsorum fidei signum erat corporalis pe- "
tra ex qua aquam bibebant corporaliter, quem "
admodum & nos in pane & vino altaris man- "
ducamus & bibimus verum Christum spiritua "
liter: hoc est in edendo & potando externè, fi- "
dem exercemus & confirmamus internè. Nam "
isti si verbum Dei & fidem nõ habuissent, cum "
aquã ex petra biberent, nihil ijs hoc, quod ad a- "
nimam attinet, profuisset. Sic etiam nobis non "
prodesset, quod panem & vinum absque fide de "
altari acciperemus. Nisi enim verbum Dei cum "
pane & vino coniunctum sit, non posset esse spi "
ritualis cibus, nec fidem confirmare. Est igitur "
vbique idem cibus & potus spiritualis, in quo "
Deus statuit verbum suũ & signum: quantum- "
uis alias externa quædam & corporalis res sit. "
Si veteris ecclesię sententiam audire libet, Chry sostomus audiatur, qui apertè docet verba cœnæ spirituali sensu explicanda esse, ex concione Christi de manducatione carnis suæ apud Ioannem. Ideoque Apostolos in prima cœna non fuisse perturbatos, quia antea ex concione Christi didicerant manducationem carnis suæ spiritualiter accipiendam esse.

Homil 83. in Matth.

CAPVT. IIII.

Doctrinam nostram non esse nouam, sed scripturis sacris & sententiæ ueteris ecclesiæ consentaneam.

GLORIATVR noster Pyrgopolinices se superioribus capitibus euidēter & clare ostendisse nostram doctrinam nouam esse, & contrariam sacris literis atque sententiæ veteris ecclesiæ: id an fecerit, iudicio pij lectoris, qui nostra quoque scripta expenderit, relinquimus. Hoc vere affirmare possumus, superioribus capitibus nullum ab eo argumentum allatum esse, quod non peccet eo vitio quod Petere principiū Dialectici dicunt: nam cuncta ipsius argumenta ab hoc principio dependent, Christum verbis his, Accipite, edite, Hoc est corpus meum, verum & substantiale corpus suum, cum pane coniunctū nobis dare ore corporeo manducandum: qui tamen non est proprius & natiuus sensus verborum Christi, neque vera & genuina horum interpretatio. Porrò præter argumenta perpauca vitiosè conclusa, nihil nisi calumnias & conuitia non tantum in superioribus capitibus, sed in toto libro pius lector & nullo præiudicio occupatus, deprehendet.

Loci scripturæ de absentia Christi.

Loca scripturæ, quibus asserit Christus se non amplius in hoc mundo præsentem fore, existimat se veteri illo sophismate posse eludere, quod

quod Christus nô sit præsens corporaliter, hoc est eo modo quo ante ascensionem ab vno loco in alium abijt præsens scilicet visibiliter & localiter. Verum hanc responsionem etiam à Luthero datã sæpe confutarunt nostri, & nullius momenti ac valoris esse ostenderunt: ac sæpe à Luthero postularunt vt nouam hanc suam & inauditam glossam, testimonijs scripturæ confirmaret, quo fidem mereri posset, sed neque Lutherus neque Brentius neque D. Andreæ id hactenus præstiterunt. Imò regulam quã nobis præscribunt, verbum substantiuum EST, substantiuè debere intelligi, hoc loco repudiãt. Et cum Christus substantialiter loquitur non ERO in mundo, ME non semper habebitis, RELINQVO mundum, illi interpretantur, non ero visibiliter & localiter vobiscum, nô habebitis me humano more & mundano præsentem: atque ita à substantia transiliunt ad accidens. Est autẽ hic manifestus Lutheri paralogismus, vt dudũ Zuinglius demonstrauit, Pauperes semper vobiscũ habebitis, me verò nô semper habebitis. Pauperes mortales sunt & mundani. Ergo Christum mortali & mundano more non habebimus. Neq; firmius concludit quam illud puerile sophisma: Quicquid emisti comedisti, Carnes crudas emisti. Ergo carnes crudas comedisti. Christus enim simpliciter dixit. Me verò non semper habebitis, & huius similitudinis de pauperibus nullam facit mentionem. Sermo

Zuinglius in Respon. ad Lutheri Confess.

etiam hic cum propter pauperes murmurarent discipuli, non de accidente vel qualitate obortus erat (qualiter nimirum in hoc mundo essent pauperes) sed simplici & absoluto sensu de pauperibus illud pronuntiatur, quod nimirum essent futuri, nó qualiter essent futuri in mundo. Simili quoque modo Christus de substantiae suæ essentia disputat.

Patrum sententia de presentia & absentia Christi.

Præterea vetus ecclesia loca scripturarum de absentia Christi, & alia de perpetua eius præsentia, ita interpretata est, vt hæc quidem ad diuinam eius naturam, alia ad humanitatis essentiam referrent. Cyrillus, Et si corporis sui præsentiam Christus hinc subduxerit, maiestate tamen diuinitatis semper adest. Item: Credere oportet fideles, quamuis à nobis corpore absit, virtute tamen sua omnia & nos gubernari, adesseque semper ipsum omnibus qui eum diligunt. Et mox. Obseruandum autem est, quia quamuis secundum carnem solum modo abiturus erat, adest enim semper virtute deitatis, vt diximus, modico tamen tempore se cum discipulis futurum dicebat. D. Augustinus, super hunc locum, Pauperes semper habetis vobiscú, me autem non semper habetis. Loquebatur de præsentia corporis sui, nam secundum maiestatem suam, secundum prouidentiam, secundum ineffabilem & inuisibilem gratiam, impletur quod ab eo dictum est: Ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi, Secundum carnem

Lib. 6. cap. 14.

Lib. 9. cap. 21.

In Ioan. tract. 50.

verò,

verò, quam verbum assumpsit, secundum id quod de virgine natus est, secundũ id quod à Iudæis compræhensus est, &c. non semper habetis me vobiscum. Quare cum conuersatus est secundum corporis præsentiam, quadraginta diebus cum discipulis suis, videndo & sequendo ascendit in cœlum, & non est hic; ibi enim sedet ad dextram Dei patris: & est hic, non enim recessit præsentia maiestatis. Gregorius. Non est hic Christus, dicitur per præsentiã carnis, qui tamen nusquam deest per prę̨sentiam maiestatis. Vigilius: Dei filius secundum humanitatem suam recessit à nobis, secundũ diuinitatem suã ait nobis, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Item. Et nobiscum est, & non est nobiscum. Quia quos relinquit & à quibus recessit humanitate sua, non reliquit nec deseruit diuinitate sua. Per formam enim serui, quam abstulit à nobis in cœlum, absens est à nobis: per formam Dei quæ non recessit à nobis in terris, præsens est nobis. Tamen & præsens & absens vnus idemque est nobis. Item. Caro Christi quando in terra fuit, non erat vtique in cœlo, & nunc quia in cœlo est, non est vtique in terra. Item. Vna natura contrarium & diuersum non recipit in seipsa. Diuersum autem est & longe dissimile, circumscribi loco & vbique esse. Et quia Verbum vbique est, caro autem eius vbique non est, apparet vnum eundemque Christum, vtriusque esse na-

Homil. Paschæ.

ἐμφατικῶς dixit.

turæ, & eſſe quidem vbiq; ſecundum naturam diuinitatis ſuæ, & loco contineri ſecundum naturam humanitatis ſuæ. Hęc eſt fides & confeſſio catholica quam Apoſtoli tradiderunt, martyres roborauerunt, & fideles hucuſque cuſtodiunt. Quare qui fingunt carnem Chriſti ſimul abſentem & præſentem, circumſcriptam, & eandem vbique præſentem, à veteri & catholica fide diſſentiunt, & Eutychianorum errorem hoc ſuo figmento confirmant.

An Deus poſſit corpus Chriſti alio modo pręter loca lē præſens facere.

Iubet deinde nos reſpondere ad quæſtionem à Luthero noſtris obiectam, An Deus præter corporalem præſentiam, de qua nos loquimur, nullum alium præſentiæ modum habeat, qua corpore ſuo in cœna verè præſens adſit? Item, An Chriſti corpus hoc modo corporali vno in loco eſſe & manere poſſit, ſicut etiam diſcipulis in vltima cœna aſſedit, vt tamen abſque abnegatione huius alio modo adſit multis in locis & ſeipſum Chriſtianis cõmunicet? Ad hanc quæſtionem dudum à Luthero propoſitã, nos quoque non nouam ſed veterem, attamen perſpicuam & dilucidam reſponſionem dabimus.

De uolontate Dei primo quærendum.

Ac primum dicimus quærendum eſſe non quid Deus poſſit, ſed quid velit: itaq; ſępe ab ipſis petijmus, vt ex ſcripturis oſtendant hãc eſſe Dei voluntatem, vt Chriſti corpus eodem tempore loco circumſcriptum ſit & alicubi corporaliter & localiter maneat, & nihilominus ſubſtãtia corporis ſui in multis alijs locis incircum-

ſcriptum

ſcriptum inuiſibiliter adſit. Hoc nunquam hactenus probarunt, ſed ſemper obiecerunt verba, Edite, hoc eſt corpus meum: quaſi euicerint hunc eſſe ſenſum horum verborũ, Chriſti corpus cum pane ſubſtãtialiter & corporaliter, inuiſibili & ſupernaturali modo præſens eſſe. Iactant verba eſſe clara & perſpicua, ſed nequaquam hoc ſonant quod ipſi aiunt: & ſuis tam anxijs, contortis, & contrarijs interpretationibus, ſatis declarant ſe incertos eſſe de ſenſu horum verborum, vt ſupra oſtendimus.

Deinde ad ipſam quæſtionem reſpondemus, corpus humanũ Chriſti ſimul in vno loco circumſcriptũ, & in multis locis incircumſcriptũ corporaliter & ſubſtantialiter præſens eſſe non poſſe. Neque propterea blaſphemi ſumus, aut Dei omnipotentiam negamus. Dicimus enim hoc ex hypotheſi impoſſibile eſſe: ac ex hypotheſi neceſſario corpus Chriſti eſſe circumſcriptum & vno tantum in loco ſubſtantialiter & corporaliter præſens eſſe. Corpus enim Chriſti humanæ naturę formam & proprietates etiam in vnitatę perſonæ diuinę ſeruat. Quod ſi idẽ ſimul abſq; omni forma & proprietate inuiſibile & incircumſcriptũ eſt, ſequitur manifeſta contradictio, neq; manet corpus in ea veritate corporis qua aſſumptum eſt. Impium autẽ & blaſphemum eſt aſſerere Deum contradictoria velle, ſiue Deum aliquid contra ſuum ipſius verbum velle & facere, cum ſit ipſiſſima veritas. Ita

Chriſti corpus non poteſt uere in uno loco eſſe, & ſimul inuiſibiliter eſſe in pluribus locis.

que si posterius euincere volent, Christi corpus incircumscriptum absque forma & proprietate humani corporis in pane existere, prius quod scripturis constat, & ipsi concedunt, eos negare oportebit, Christi corpus etiam in vnitate personæ humanæ naturæ formam & proprietatẽ seruare: duo enim hæc simul existere non possunt, neque omnipotentia diuina efficit vt aliquid simul sit & non sit: non defectu aliquo potentiæ Dei, sed ideo quia Deus omnipotens & veritas ipsa est, nō facit vt ea ipsa quę vera sunt, eo ipso quo vera sunt, falsa sint, vt D. Augusti-nus scribit: ita nanque faciendo veritati contrarius esset. Sic etiam manifesta est contradictio, cū dicitur corpus Christi esse in vno aliquo loco localiter, & tamen omnipotentia Dei eodem tempore in multis locis esse corporaliter & substantialiter non tamen localiter. Si enim localiter alicubi est, necesse est circumscripto modo adesse vt nihil huius corporis sit extra eum locum: rursus si eodem tempore alicubi est substantialiter etsi non localiter adsit, aliquid huius corporis aut totum corpus erit extra locum in quo dicebatur localiter esse, & ita cōtradicentia de corpore Christi affirmantur. Neque tollitur cōtradictio, quod dicitur hoc diuersis modis fieri, quando vtrunque realiter & substantialiter & corporaliter de ipso Christi corpore prædicatur. Sed hæc omnia copiose à nostris explicata sunt, à Zuinglio, Oecolampadio, Bullingero,

Cōtra Faustū lib. 26. cap. 5.

ſingero, Martyre, Beza, & tamen D. Andreas audet perfricta fronte affirmare, nunquam nos de hac re Luthero & Brentio reſpondiſſe. Ipſorum erat oſtendere Deum velle & efficere ea quæ contradictionem implicant, hæc enim noua eſt horum hominum theologia, vt contradictoria Deo tribuant, quod faciat idem ſimul & eodem tempore eſſe & non eſſe, quia ſit omnipotens; ſed hanc ſuam theologiam cum hactenus neque ex ſcripturis, neque ex conſenſu veteris eccleſiæ probarint, petimus vt tandem claro & aperto aliquo teſtimonio ſacrarum literarum probent, Deum velle corpus Chriſti, ſaluis humani corporis proprietatibus, eodem tempore alicubi circumſcriptum eſſe, & ſimul multis in locis inuiſibiliter, ſubſtantialiter, tamen realiter & corporaliter, præſens eſſe. Neq; hic vti hactenus fecerunt, petant principium, & ex controuerſis verbis cœnæ domini hoc probare velint, quum neque verbis cœnæ hoc affirmetur, & nos contrarium ſenſum ex ſcripturis, analogia fidei, ſacramentorum natura, & veteris eccleſiæ conſenſu oſtenderimus.

Quid aduerſarij probare debeant.

Quod verò ſubijcit Lutherum demonſtraſſe, Chriſtum, vbicunque præſens ſit diuinitate ſua, illic perſonaliter ſecum habere, aut ſibi coniunctam habere humanam naturam à ſe aſſumptam, alioquin Chriſtũ diuidi: Hoc inquã nos non negamus, neque contra nos facit. Sed hoc probandum erat, quod vbicunq; Chriſtus

Chriſtus ubiq; ſecũ coniũctam habet humanam naturam.

Sed non ideo omnibus locis præsentem sistit humanitatem suā

præsens est diuinitate sua, etiam illi loco vel personæ præsenté sistat humanitatem suam. Cum Lazarus moreretur, adfuit illi diuinitas Christi, quæ vbique præsens est, & non adfuit illi separata ab humanitate sua, sed eam secum coniunctam habens & sustentans, & Christus Deus & homo Lazaro adfuit: & tamen substantialiter absens fuit corpus Christi: vnde Christus se gaudere inquit quod non adfuerit, idque propter discipulos. Sic postquam Christus à mortuis resurrexit, diuinitas eius quæ vbique præsens est, etiam in sepulchro ipsius præsens fuit, sed corpus eius non fuit eo loco præsens, Angelis dicentibus, Non est hic. Neque tamen diuinitas Christi cum in sepulchro præsens esset, propterea ab humanitate separata fuit. Si Christi diuina natura finita, atque localiter aut definitiue alicubi præsens esset, tum sequeretur humanam naturam à diuinitate assumptam illic quoque præsentem esse, vbi diuinitas adest, & nisi eo loco substantialiter præsens sit solui vnitatem personæ: sed cum Christi diuinitas infinita sit, & vbique tota & integra essentialiter præsens, etiãsi Christi diuinitas in terris nobis præsens est, & corpus Christi cœlo continetur, nulla tamen sequitur personæ distractio: illa enim ipsa diuinitas quæ tota & integra in terris præsens est, nihilominus tota & integra etiam in cœlo præsens est, & humanitatem assumptam in vnitate personæ suæ sustentat, vt iam post assumptam hu-

tam humanitatem Christus semper & vbique sit Deus & homo. Neque alia est diuinitas nobis in terris præsens, & alia in cœlo præsens corpori Christi & id sustentans, sed vna eademque diuinitas quæ humanitatem assumpsit vbique præsens est, nusquam separata ab humanitate sua, sed eam semper in sua persona sustentans. Videntur autem subtiles isti theologi, qui Christi corpus omnibus locis realiter & substantialiter præsens esse volunt vbi diuinitas præsens est, nimis crassas de diuinitate cogitationes habere, ac eam vel humani corporis mensura & terminis circumscribere, vel localiter præsentē imaginari, aut definitiuo modo, quæ ita adsit alicubi, vt alibi non eadem tota quoque adsit: nisi enim tale quid statuatur, non conficient humanitatem vbique præsentem esse vbi diuinitas præsens est.

Quoniam verò ostendimus D. Augustinū nobiscum facere, hunc prorsus nobis eripere conatur, & inquit eum non magis nobiscum facere quàm sacras literas. Rectè sane, sacris enim literis nostram doctrinam comprobauimus, & cum his, tum etiam cum D. Augustino & veteri ecclesia, quæ non aliter atque nos scripturas interpretata est, congruit & consentit nostra sententia de cœna domini. Quinque autem ex Augustino protulimus, & locis ex eo adductis comprobauimus. Primum in sacramentis præter verbum Dei duo esse spectanda, signum & rem

An. D. Augustin. idē doceat quod & nos de cœna domini.

N. B.

1.

2. signatam. Deinde morem esse scripturæ vt signo tribuat nomen rei signatę, & sic in cœna domini panem & vinum nominari corpus & sanguinem Christi. Diligenter tamen cauendum esse, ne propterea signum accipiatur pro re signata, quoniam hæc sit misera animarum seruitus.
3. Tertiò cum scriptura de sacramentis loquatur sacramentaliter, eandem sacramentaliter & figurate intelligendam esse: quomodo etiam D. Augustinus verba domini, Hoc est corpus meum, figurata esse scribit, & similia verbis Pauli, Petra autem erat Christus, ac interpretatur ea quod panis & vinum corpus & sanguinem Christi significent, sint horum signum, figura, memoria, & sacramentum. Ad hęc tria respondet D. Andreas, se non negare panem significare corpus Christi, aut eius signum, figuram & sacramentum esse, modo addatur signum esse præsentis corporis. Signum enim distingui quidem à re signata, ne alterum accipiatur pro altero, attamen hęc vnione sacramentali ita coniuncta esse, vt neutrum absque altero distribui aut accipi possit. Vnionem verò sacramẽtalem non esse corporalem & carnalem atque terrenam vnionem, qualem nos oppugnemus nemine refragante, sed esse diuinum cœleste & supernaturale mysterium, hanc si credamus simpliciter neque rationis humanæ disputationes sequamur, & Capernaiticam manducationem ipsis non obijciamus, pacem in ecclesia facile com-

poni

poni posse. Atque hic sane libenter audimus ipsum fateri panem significare corpus Christi, & eius figuram esse. Si enim verè cum Augustino ita sentit, necesse est eum à Luthero dissentire, qui contra Zuinglium & Oecolampadium asseruit, Panem esse verum & substantiale corpus Christi, & ideo vocat Fleischbrott. Deinde in eo quoque Luthero repugnabit, quod verbum EST non accipit substantiuè. Tertio quod tropum admittit in verbis cœnæ domini, quem Lutherus cum suis prorsus repudiat. Sin cum Luthero sentit, relinquat nobis Augustinum, neq; eum sibi vendicet: nam hunc fateri verba Cœnæ esse figurata, & ea interpretari quod panis significet aut sit signum aut figura corporis, adeo manifestum est, vt neq; ipse Iacobus Andreæ id negare audeat. Quod autem addit panē esse signum non absentis, sed præsentis corporis Christi: quod simul cum signo datur, ambiguū est. Quandoque enim res signata præsens est in signo non substantiali præsentia, sed communicatione rei: veluti cum Rex literis suis regnum dat & includit, quo filium donat. Ita qui credit, in cœna domini non tantum accipit signum, sed rem signatam, verum corpus & sanguinem Christi, Nam membrum Christi est incorporatum illi existens, & os ex ossibus eius. De hoc autem non est quæstio, sed de corporali & substantiali præsentia corporis Christi, an Christi corpus realiter & substantialiter cum pane ita

D. Andreæ contradicit Luthero.

In breui confes.

Bullingeri Resp. pag. 39.

An panis sit signum absentis corporis.

ſit coniunctum, vt duæ ſubſtantiæ ſint & dicantur vna eſſentia, vt Lutherus aſſerit, atq; ita manu miniſtri ipſum ſubſtantiale corpus Chriſti porrigatur & ore ſumatur. Hanc præſentiam D. Auguſt. & veteres ignorarunt: ac D. Auguſtinus multis locis affirmat (vt quarto loco oſtendimus) Chriſtum corpore ſuo non eſſe in terris præſentem, ſed in certo cœli loco. Neque hęc teſtimonia ſuo cauillo eludere poterit, quod neget corporalem præſentiæ modum, aperta enim ſunt Auguſtini verba, qui toties Chriſtum corpore, corpore inquam abſentem affirmat, & ita abſentem, vt corpus ejus certo loco contineatur, ipſe autem diuinitate ſua qua vbique præſens eſt nobis adſit. Expendãtur verba Auguſtini locis quos indicauimus: & præſertim Tract. in Ioan. 50. & 106. & in epiſtola ad Dardanum.

Vnio ſacramentalis.

Vnionem ſacramentalem non eſſe corporalem, aut naturalem, aut terrenam, ſed myſterium diuinum, cœleſte, & ſupernaturale nos quoque fatemur. Vnio enim ſacramentalis inter ſignum & rem ſignatam eſt relatio quędam, idque ex diuina inſtitutione, nemo enim hominum ſacramentum inſtituere poteſt, ideoq; myſterium hoc rectè cœleſte dicitur & ſupranaturale, quoniam ſacra ſigna res cœleſtes ſignificant, & myſteria hæc non ſenſu aut lumine naturæ, ſed fide percipiuntur. Panem enim & vinum alere nos ad præſentem vitam, natura notum eſt, ſed corpus Chriſti pro nobis traditum, & ſan-

& ſanguinem pro nobis effuſum, eſſe cibum vitæ æternæ, fide tantum agnoſcimus. Coniunctio carnis & ſanguinis cum ſymbolis eſt ſignificatio harum rerum de quibus diximus, eaque non vulgaris, ſed efficax: hac enim ſpiritus ſanctus vt certo quodam inſtrumento quemadmodum & externo verbo vtitur. Neque aliam coniunctionem aut vnionem docet D. Auguſtinus. Quoad noſtram perceptionē, ſcimus Deū vere in credentibus efficere, quę externis ſymbolis ſignificantur & repræſentantur, vt credentes alat corpore Chriſti, & eius ſanguine potet ſpiritualiter ad vitam æternam. Non tamen propterea ſequitur, corpus Chriſti realiter cum pane præſens eodem loco eſſe, & ſimul ore corporis ſumi. Locorum enim diſtantia non obſtat quo minus res longiſſime diſſitæ per relationem vniantur: atque efficaciam ſpiritus ſancti per hæc quaſi inſtrumenta operantis, diſtantia localis ſigni & rei ſignatæ nō impedit: neq; neceſſe eſt nobis localiter pręſens eſſe corpus Chriſti vt eo alamur, multo minus requiritur vt cum pane in eo loco adſit. Aduerſarij quidem negant localem præſentiam requiri ad ſacramentalem vnionem, ſed ita tantum negant, quod corpus Chriſti non adſit localiter, ſic vt loco circumſcribatur, interim tamē vrgent corpus Chriſti in omni loco vbi cœna celebratur ſubſtantialiter & realiter ac corporaliter præſens eſſe, & ſic adeſſe pręſens, vt vna cum pane manu miniſtri porri-

Locorū diſtantia non impedit unionem ſacramentalē

gatur & ore suscipiatur. Ac nos blasphemos esse aiunt cum asserimus corpus Christi in cœlo esse, atque ideo substantialiter non adesse cum pane, sed tantum ab illo distare quantum cœlũ à terra distat, nihilominus tamen esse cibum spiritualem qui fide sumatur & alat nos ad vitam æternã. Obijciunt nobis semper omnipotentiã Dei, qua volũt effici vt corpus idem circumscriptũ sit & incircumscriptũ, visibile & inuisibile, certo loco finitum & idem vbique præsens: iactant cœlestem modum præsentiæ iuxta dexteram Dei: & tamen cum nos dicimus fide percipi spiritualiter verum corpus Christi, quamuis realiter non adsit cum pane, sed in cœlis existat: aiunt nos vacua signa constituere, Christũ cœna excludere: & qui nobis Geometricas de loco cogitationes obijciunt, adeò loco affixi sunt cogitationibus suis, vt nullam agnoscant verã præsentiam & cõmunicationem carnis Christi, nisi cœlũ ipsum & corpus Christi substantialiter prçsentia sint in omni loco vbi cœna celebratur: ita vt nullũ aut saltẽ exiguũ interuallũ ponatur inter has res quæ sibi mutuò prçsentes sunt.

Erythræus

Porrò non fuisse sententiam veteris ecclesiæ, vt falsò affirmat D. Andreæ, rem signatam esse ita coniunctam cum signo, vt qui hoc accipiat etiam alterius particeps sit, mox ostendemus de manducatione impiorum scribentes. Conatur enim Iacobus probare indignos manducare verum corpus Christi, & nonnulla argu

menta

menta pro hac opinione protulit primo capite, postea quarto capite idem D. Augustini authoritate probare vult, nos paucis ad hæc omnia simul respondebimus.

Probat autem manducationem impiorum ex ipsa Christi institutione, qui non tantum panem, sed corpus suum edere iusserit, dicẽdo, Accipite, edite, hoc est corpus meum: non autem, hoc significat corpus meum, quemadmodum Zuinglius manifestè & palpabiliter verba Christi peruerterit. Sed hoc argumentum, vt omnia eius, nititur falsæ hypothesi & opinioni animo conceptæ, quod hęc verba, Hoc est corpus meũ, significent panẽ substãtialiter esse corpus Christi, aut illud cũ pane substãtialiter & realiter presens esse: Christus in vltima cœna panem accepit, fregit, discipulis dedit, & de hoc dixit, Accipite, edite, Hoc est corpus meum. Panis inquã fuit quem edere iussit, & quem sumunt omnes tam digni quàm indigni. Hunc panem dicit esse corpus suum: Ergo id quod Christus nominauit corpus suum tam indigni quàm digni comedunt. Hæc est vera & simplex consecutio. Vt autem consequatur verum Christi & substantiale corpus ore corporis ab indignis manducari, oportet in minore assumere panem hũc esse substantiale corpus Christi, aut id realiter coniunctum habere, sed hoc in quæstione positum est, ideoque est petitio principij vt pleraque aduersarij argumenta. Attamen quia panis hic suo

Ex institutione Christi non probatur manducatio indignorum.

modo est corpus Christi, hoc est in sacramento & mysterio, & propterea etiam vsitata locutione nomen rei signatæ accipit, ideo dici potest impios corpus Christi edere, non vere & substantialiter, sed in mysterio. Deinde fideles non tantum accipiunt signum, sed corpus Christi spiritu & fide percipiunt: ne Andreas suo more nos calumnietur, quod tantum nudum panē & vacuum signum in cœna statuamus. Cum autem Zuinglij interpretationē damnat quod verba Christi peruertat, sciat se veteres ferme omnes damnare, qui verba Christi (vt supra etiā monuimus) similiter interpretati sunt. Christus inquit non dixit, Hoc significat corpus meum: At similiter non dixit, Panis est substantialiter corpus Christi, neque dixit corpus meum substantialiter & corporaliter est in pane, aut cum pane, vel sub pane: vbi quæso hoc Christus dixit, vel aliquid huic simile? Christi verbis inest tropus, quod etiam D. Andreæ fatetur, non autem moris est scripturis vt tropos explicet, sed facile intelliguntur & explicantur à pijs iuxta analogiam fidei & aliorum locorū collationē.

An ad discernendū corpus requiratur eius præsentia substantialis.

Alterum argumentum ē Paulo depromit, qui scribit indignè manducantes sibiipsis iudicium edere, propterea quod non discernant corpus domini, sed si tantum panem ederent, dixisset eos peccare non dijudicando & discernendo panem hunc à communi pane. Respondemus in sacramentis duo esse consyderanda, signum & rem

& rem ſignatam, itaque pij in cœna domini nõ tantum reſpiciunt panem & vinum quæ ſunt externa ſymbola, ſed interius ſpiritu & fide intuentur, accipiunt, & comedunt corpus Chriſti pro ſe in mortem traditum, & ſanguinẽ ſui cauſa effuſum, & hic eſt ſpiritualis cibus quo aluntur ad vitam æternam: atque hoc eſt diſcernere corpus domini. Indigni autem non dijudicant corpus domini, hoc eſt, vt Chryſoſtomus interpretatur, non conſiderant magnitudinem eorum quæ ſunt propoſita, neque muneris magnitudinem apud ſe reputant. Vt autem corpus domini diſcernatur, non eſt neceſſe verũ & ſubſtantiale Chriſti corpus cum pane ita coniungere vt illud ſimul ſumant impij. Nam primum non dijudicant corpus domini, illi qui non in hoc ſacramento quærunt & fide percipere ſtudent corpus Chriſti, vt illo alantur ad vitam æternam: neque diſcernunt panem hunc, qui eſt, vt Origenes inquit, typicum & myſticum corpus Chriſti, à communi & vulgari pane. Cæterum argumentum hoc Andreæ nihilo firmius eſt quam illud quo plerique ſociorum eius vtuntur. Indignè ſumentes rei fiunt corporis & ſanguinis domini, ergo ſumunt verum Chriſti corpus & ſanguinem. Quis enim illis conceſſerit huius argumenti propoſitionem: Cuius rei aliquis reus fit, eam oportere illi ſubſtantialiter & eſſentialiter præſentem eſſe? Qui rei ſunt læſæ maieſtatis Regiæ, non habent regem præſen

Diſcernere corp. dñi.

tem? Qui à Christo deficiunt, dicuntur Filium Dei conculcare, neq; tamen Filium Dei corporaliter præsentem habent.

Impij tantum sacramentum accipiunt.

Negat deinde indignos sacramentum tantum accipere; non autem rem sacramenti, corpus Christi: sacramentum enim iuxta Irenæi sententiam duabus rebus constare, terrena, pane & vino, & cœlesti, corpore & sanguine Christi: quod si impij panem & vinũ accipiant, tum eos non sacramentum, sed partem tantum sacramenti accipere, cum tamen nos dicamus ipsos sacramentum accipere. Quis nõ dicat Iacobum Andreæ ludere in rebus sacris, qui tam pueriliter argumentetur? non enim ignorat nomen sacramenti sæpe à veteribus accipi pro externis symbolis, iuxta vsitatam definitionem, qua sacramentum dicitur esse visibile signum inuisibilis gratiæ: atque hoc sensu dicimus impios accipere sacramentum, quoniam accipiendo sacra symbola non accipiunt vulgarem & communem panem, sed panem qui est sacramentũ corporis Christi, & suo quodammodo, hoc est, sacramentaliter & typice, corpus Christi nominatur. Quoniam verò sacramentum est relatio, vt plenum & integrum sit, duabus rebus constare oportet, signo & re signata: sed hæ duæ res non ita sunt coniunctæ, vt altera absque altera sumi non possit, & errãt qui in relationibus talem coniunctionem ponunt. Signum est panis, res signata corpus Christi, cum autem negare non pos-

Qualis coniunctio signi & rei signatæ.

non possint, multos manducare corpus Christi spiritualiter per fidem, vt Ioannis 6. docetur, extra sumptionem sacramenti, cur negant symbolum quoque vicissim posse sumi absque re signata? Quod autem conficit impios tantum partem sacramenti accipere, libenter fatemur: neque inde quicquam absurdi conficitur: nulla etiam est contradictio in nostris verbis ambiguitate nominis explicata.

Obieceramus præterea illi, corpus & sanguinem Christi esse spiritualem cibum & potũ, quo fideles ad vitam æternam aluntur: infideles autem neque vitam habere, neq; fidem qua percipiant vitam, ideoque eos tantum externũ sacramentum sumere. Hoc argumentum tanquam infirmum & nullius momenti reijcit D. Andreas, eo quod Christus non tantum saluator sit verum etiam iudex, atque hoc modo ipsum ab indignis ad mortem accipi. Sed hic mos est Sophistarũ, cauillis eludere argumenta, quæ soluere non possunt. Nostrum argumentum duplex est, primum enim ab effectu manducationis carnis Christi argumentamur, qui est vita. Non quærimus absolute quid Christus sit & efficiat, sed quæ sit vis & efficacia carnis Christi si eam mãducemus, de hac Christus inquit, Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Ostendant ipsi locum aliquem scripturę, qui dicat carnem Christi manducari ad mortem: indigne panem hunc come-

Impij fide & uita carent, ergo non edunt corpus Christi.

Hoc et Brendorus in Sermo. 45.

dentes & de hoc poculo bibentes, iudicium seu condemnationem sibi edere Paulus scribit, nón autem ait hos ipsum Christi corpus comedere.

2. Alterum argumentũ sumitur à conditione percipientium sacramentum. In sacramento sunt duæ res, externa res ipsa, symbola panis & vinum, quæ sunt alimenta vitæ præsentis, ea impij percipiunt, quia vita corporis externa præditi sunt: deinde res cœlestis, cibus vitæ æternæ corpus & sanguis Christi, hunc cibum indigni non sumunt, quia quoad animi vitam mortui sunt, nõ habent vitam spiritus qua possint rem sacramenti accipere. Scio aduersarios hæc eludere, quod ista vere dicãtur de spirituali manducatione corporis Christi, aliã tamẽ esse corporalẽ manducationem carnis Christi, qua etiam impij ore suo corpus Christi sumunt. Sed hoc ipsorum figmentum est, sacræ literæ vnius tantum manducationis meminerunt, neque vsquam docent corpus Christi absque eius viuificante spiritu manducari orali manducatione. Porro quod Christum iudicem esse dicit non ignoramus, neque negamus ipsum etiam ante extremum aduentum iudicium exercere, quod falso nobis tribuit D. Andreæ. Sed hoc probandum erat illi, Christum vt iudicem exhiberi & sumi in sacramento. Mystica benedictione nos Christo corporaliter vniri supra ex Cyrillo affirmauit D. Andreas, num verò Christus illos quibus vnitur & quorum caput est, iudicat & condemnat,

An Christus ut iudex sumatur ab impijs.

demnat, & non potius hos à quibus per incredulitatem repellitur? Christus in verbo Euangelij etiam nobis offertur, ac dicitur quibusdam esse odor mortis ad mortem, his inquam qui non recipiunt fide oblatum sibi euangelium: ita nō negamus Christum etiam in sacramento esse odorem mortis, non tamen his qui Christi corpus percipiunt, sed qui sua diffidentia se cœlesti cibo priuāt, neq; vniuntur Christo. Quod si obijciatur spirituali tantum manducationē Christū corporaliter nobis vniri vt eius membra simus, & ita vitā ex carne eius percipiamus: cur ergo quod à Cyrillo de corporali ~~manducatione~~ vnione qua Christo vnimur scriptū est, adducunt vt oralem & corporalem manducationē eius autoritate probēt, quæ tamen illi incognita fuit?

Negat etiam sententiam nostram confirmari ex Pauli verbis qui indignos panem manducare ait, quoniam idem Apostolus dicat panem hunc esse κοινωνίαν corporis Christi, hoc est cum quo corpus Christi distribuatur, ideoque indignos reos fieri corporis Christi, non panis reos fieri, quia cum hoc pane qui est communio corporis Christi indignis corpus Christi vere distribuatur non minus quàm credentibus. Vt autē ad id quod postremo loco proponitur primum respondeamus, non negamus etiam indignis in sacramento diuinitus offerri verum corpus Christi, non minus quàm dignis, sicut etiam in verbo Euangelij idem Christus omni-

Panis quomodo communio corporis Christi.

bus annũciatur, sed nõ quæritur quid hic Deus in sacramtẽo suo nobis offerat, sed quid indigni percipiant. Deinde falsa est cõsecutio. Panis est κοινωνία corporis Christi: ergo omnes hunc panẽ sumentes, ipsum verũ & substãtiale corpus ore corporis accipiũt. Nã quod ait veteres & recentiores interpretari panẽ esse κοινωνίαν, id est, id cũ quo corpus distribuatur (hoc est, vt ego intelligo, cum quo corpus Christi realiter & substantialiter simul datur & accipitur) tam vere ab ipso dicitur, quàm vere etiam aliâs de consensu veterum gloriari solet. Scholia Græca ita Pauli verba interpretantur. Nónne cõmunicatio sanguinis est Christi? Agglutinat enim nos Christo sanguis ipsius propter ipsam participationem, non secus ac membra capiti. Ibidem hæc Photij leguntur. Vnde enim planum est inquit quod panis quem frangimus communicatio sit corporis Christi? hoc est quod nos in communionem corporis Christi agglutinet? vnde patet? Quoniam vnum atq; idem corpus sumus ac dicimur omnes Christo coagmentati, instar communis corporis capiti. Si igitur corpori eius ac sanguini in communionem non copulamur, cũ quo nam altero vnum fuimus corpus aut vocati sumus. Chrysostomus prima fronte illi patrocinari videtur, qui calicem benedictionis, interpretatur quod est in calice, id est quod à latere fluxit, & illius sumus participes. Loquitur autem Chrysostomus vt plerunq; mystice

vb

bi quod ſigni eſt ſignato tribuit, nam mox iu-
bet altari Chriſti ſanguinē aſpergere quod non
eſt de ipſo ſubſtantiali ſanguine intelligendum.
Exponit etiam quomodo ſit cōmunicatio ſan-
guinis Chriſti; cum calice inquit inenarrabilia
Dei beneficia, & quæcunque conſecuti ſumus
addimus: ita ad eum accedimus, cum eo cōmu-
nicamus, gratias agētes quod humanum genus
errore liberauit, &c. Idem ait panem dici com-
municationem corporis Chriſti, non participa-
tionem, quia nō participatione tantum & acce-
ptione, ſed vnitate illi communicamus. Item:
Quid enim appello, inquit, cōmunicationem.
Idem ipſum corpus ſumus. Quidnam eſt pa-
nis? Corpus Chriſti. Quid autem fiunt qui ac-
cipiunt? Corpus Chriſti. Non multa, ſed vnum
corpus. Item D. Ambroſius. Sicuti nos de vno
pane & de vno calice percipientes, participes ſu-
mus & conſortes corporis domini, ita & qui e-
dunt hoſtias, participes ſunt altaris erroris. D.
Bernardus. Calix, inquit, id eſt communicatio
calicis, facit nos habere quādam cōmunionem
cum Chriſto. Hæc quidem ſatis aperta ſunt, ſed
quia aduerſarij falſo ſibi finxerunt corporalem
& ſubſtantialem & oralem manducationē cor-
poris Chriſti, quicquid de communione noſtra
cum Chriſto, de participatione Chriſti, de vnio-
ne Chriſti nobiſcum ſcribitur, id omne ad ſuam
oralem manducationem referunt.

Poſtremo loco teſtimonia Auguſtini ſum-

mavi nobis extorquere conatur D. Andreas, & eum sibi vendicare, quod ipse quoque affirmet corpus Christi ore sumi etiam ab impijs. Antequam autem singulatim dicamus de testimonijs huius patris, duo prius annotanda sunt: primum corpus Christi nominari aliquando ab Augustino & veteribus, non ipsum naturale & substãtiale corpus Christi seruatoris nostri, sed symbolo seu externo sacramento hoc nomen tribui, secundum regulam sæpe ab Augustino propositam, quod signa accipiant nomina rerum signatarum. Quare cum veteres corpus domini nominant, videndum est an de mysterijs loquantur & mysticum corpus intelligant, an verò loquãtur de vero & naturali corpore Christi. Estque inepta aduersariorum ratiocinatio, Panis nominatur corpus domini, Ergo est naturaliter & substantialiter corpus Christi. Cum Augustinus scribit quod nõ minus sit verbum Dei quàm Christi corpus, & ideo non minus reum esse qui verbum Dei negligenter audierit, quàm qui corpus domini sua negligentia in terram cadere permiserit. Vtique non loquitur de naturali & substantiali corpore Christi, neq; enim illi par aut maius faceret verbum externũ, neque etiam iuxta aduersarios erit corpus Christi quod extra vsum negligenter tractatum in terram ceciderit. Rursus cum alibi scribit. Caro eius est quam forma panis opertã in sacramento accipimus, & sanguis eius quem sub vini specie &

Corpus Christi mysticum.

In lib. sententiarum Prosperi.

cie & sapore potamus. Caro videlicet carnis & sanguis est sacramentum sanguinis. Non loquitur de naturali & substantiali corpore & sanguine Christi, sed de mystico corpore, seu sacramento corporis. quomodo enim caro ipsa substantialis sacramentum esset carnis, nisi duplex caro in Christo statuatur, quod absurdum est. Similiter cum veteres scribunt corpus confici & creari, & ex panis & vini substantia consecrari, consumi, frangi, videri, tangi, dentibus atteri, hæc non possunt substantialiter & simpliciter, de ipso naturali Christi corpore intelligi, sed symbola mystica quæ earum rerum nomina accipiũt quarum figuræ sunt, vt Theodoretus scribit, hic intelligenda sunt: & hoc est quod Origenes vocat typicum & symbolicum corpus & mysticum etiam atque sacramentale corpus dicitur, quod ipsum aliud nihil est quam ipsum veri naturalis & substantialis corporis Christi sacramentum, eo loquendi modo, quo (vt sæpissime D. Augustinus docet) signum quod significat, rei significatæ nomine appellatur. Sic igitur intelligenda sunt verba Augustini quæ ex epistola ad Ianuarium profert D. Andreas. In honorem tanti sacramenti, in os Christiani dominicũ corpus intrare prius quàm alium quemuis communem cibum. Verum enim corpus Christi non accipit honorem suum à sacramento, sed potius contra sacramentũ à corpore Christi honorem suum accipit.

Cũ patres in-
telligat dupl.
chri corpus.

Quid sit edi in sacramento.

Secundo bene obseruandum est quo sensu ab Augustino & alijs veteribus scribatur, corpus Christi edi in sacramento, aut sacramentotenus, vel sacramentum corporis Christi manducari: neque enim significat verum & substantiale corpus Christi ore manducari, sed corpus sacramentale, hoc est, manducatur panis, non ille iam vulgaris & cõmunis, sed qui est sacramentum corporis Christi, & in mysterio siue symbolice & tropice corpus Christi nominatur. Ab Augustino sacramentotenus & reuera corpus Christi edere inter se opponuntur: item in sacramento sumere, & in ipsa veritate spiritualiter manducare & bibere, vel in sacramento, & reipsa. Item. Quid est, inquit, Christum manducare? Non hoc est solum in sacramento corpus eius accipere. Multi enim indigni accipiunt. Sed quomodo mãducandus est Christus? Sicut ipse dixit, Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo, & qui indigne accipit sacramentum, acquirit magnum tormentũ. Hic aliud est Augustino corpus Christi in sacramento edere, seu sacramentũ accipere, aliud ipsum Christum manducare: neque hic tantum modos manducandi distinguit, sed de ipsius Christi manducatione loquitur, quam adimit his qui tantum in sacramento edunt corpus Christi: quod non recte ab eo negaretur, si in sacramẽto corpus Christi oraliter manducaretur. Item cum à veteribus scribitur

bitur corpus Christi in sacramento per partes manducari, id non potest de reali manducatione corporis Christi accipi. Quomodo autem hæc intelligenda sint ipse Augustinus explicat. Epist. 23.
"Sacramentum inquit corporis Christi, secundum quędam modum corpus est Christi. Item suo modo vocatur Christi corpus, cum reuera sit sacramentum corporis. Modum hunc Augustinus exponit: Sacramenta similitudinem earum rerum quarum sacramenta sunt habent, alioqui sacramenta non essent, ex hac autem similitudine plerunque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt.

Respondetur ad locũ Augustini.

Atque hæc quidem quæ attulimus, non sunt alienæ & detortę interpretationes, sed Augustinum volumus sui ipsius interpretem esse: id si obseruemus, facile poterunt explicari loca, quæ pro orali indignorum mãducatione ab aduersarijs proferuntur. Primum autem probare vult suam sententiam ex Augustino in Ioannẽ tract. 30. vbi scribit, Iudam vnum cum Petro panem comedisse, qui tamen illi fuerit cibus ad mortem. "Panis, inquit, viuificare & mortificare non potest, loquitur igitur de corpore Christi, cuius caro viuificat fideles, ac infideles occidit. Respicit autem Augustinus ad verba Pauli 2. Cor. 2. Sicut enim vnus est odor euangelij ad vitam & ad mortem, ita etiã vnus est cibus corporis Christi in cœna, qui credentium salutẽ promouet, infidelibus ad iudicium inseruit. Recte

ſane ab eo dicitur, eandem eſſe rationẽ odoris euangelij, & cibi huius cœleſtis. Euangelium eſt odor mortis vt ſupra diximus, non his qui illud recipiunt, ſed qui id reijciunt: ita corpus Chriſti cibus eſt ſpiritualiter ſumentibus, ſed ad mortẽ ſeruit illis qui ſua incredulitate id repellunt. Ipſi autem Chriſtũ volunt recipi & ſumi ab indignis, & ita ipſum Chriſti corpus eſſe cibum mortiferum indignorum, quod neque verè, neque honorifice de Chriſto dicitur, quamuis enim iudex ſit & iudicium exerceat, tamen in ſacramento ſumitur vt vniatur nobis, non autem vnitur nobis vt nos damnet, ſed vt viuificet. Adhęc Auguſtinus ipſę diſtinguit panem quem Apoſtoli & quem Iudas ſumpſere. Vnus eſt panis, vnum eſt ſacramentum, ſed apoſtolos inquit panem dominum manducaſſe, ipſum Chriſtũ ſumpſiſſe: Iudam aũt panem domini contra ipſum dominum comediſſe: ſed ſi panis domini eſſet ipſum verũ & ſubſtantiale corpus domini, tũ Iudas non tantum panẽ domini ſignum & ſacramentum, ſed ipſum dominũ comediſſet. Quod autem ait panẽ non viuificare neque occidere, recte de nudo pane dicitur, ſed hic panis eſt panis domini, ſacramentũ corporis Chriſti, ac ipſe quidem ſua ſubſtantia, non viuificat, ſed vt verbum externum, ita hoc quoq; viſibile verbũ eſt inſtrumentum Chriſti nos viuificantis, & idem occidit, qui a contemnentes ſacramentũ hoc rei fiunt nõ tantum panis violati, ſed ipſius corporis Chri-

ris Christi cuius hic panis symbolum est. Non tamen quia cõmunis panis non est, ideo confícitur ipsum substantialiter corpus Christi coniunctum habere.

Deinde ad Augustini verba, Res verò ipsa cuius & sacramentum est, omni homini ad vitã nulli ad exitium sumitur quicunque eius particeps fuerit. Respondet Augustinũ loqui de spirituali participatione qua Christum spiritualiter manducamus: se quoque hanc non tribuere impijs. Rectè hoc, sed ostendat Augustinũ docere aliam manducationẽ præter spiritualem, qua ipsum Christi corpus verè comeditur: certe hoc loco quem adduximus distinguit sacramentum, & rem sacramenti: non autẽ sumendi modum: de sacramento pronuntiat quod à quibusdam ad vitam, à quibusdam ad exitiũ sumatur: de reipsa hoc est de corpore Christi affirmat omni homini ad vitam sumi, nulli ad exitium: sed iuxta aduersarij sententiã dicendum etiam erat, de re sacramẽti, à quibusdam ad vitam, & à quibusdam ad exitiũ sumi. Friuolũ est quod ludit in verbo, qui eius participes fiunt, & id ad participationem spiritualẽ restringit, nam absolutè loquitur, & si qua alia est participatio eandem haud dubie intelligit, si ore sumitur res sacramẽti, certe qui id sumũt eius participes fiunt, quanquam non ad participationem spiritus, tamen compræhenderentur hac sententia Augustini, qui nullam distinctionẽ aut exclusionẽ ponit,

Quae est corpus Chri.

Reipsa tamē corpus Christi nō nisi spiritualiter per fidem manducatur, neque alia est manducatio ipsius carnis Christi in cœna domini, quàm illa quæ Ioannis 6. capite describitur, sicuti ex Augustino ostēdimus locis quibus id affirmat notatis. Conuertuntur autē apud Augustinū, Christum manducare, & in illo manere atq; illū manentem in se habere, quæ est spiritualis manducatio. Similiter dicit eū qui non est in corpore Christi non manducare eius corpus: qui discordat à Christo non manducare neq; bibere carnem eius & sanguinem. Alia quidē est manducatio qua carnaliter & visibiliter dētibus premitur sacramentum corporis & sanguinis Christi, & ad iudicium manducatur. Sed hoc non intelligendum est de naturali & substantiali corpore, nisi quis adeo crasse sapiat vt id ipsum dentibus premi credat: & iudicium manducatur nō propter realem præsentiam corporis Christi in pane, sed quia (inquit) immundus ad Christi præsumpsit accedere sacramenta. Quare cum apud Augustinum & alios patres legimus corpus Christi ab impijs manducari, id intelligendum est de typico symbolicoque corpore, siue quod corpus Christi in sacramento & mysterio, aut sacramentotenus non reuera editur. De ipso autem vero corpore quod à verbo assumptum est, Origenes nō suā sed ecclesiæ sententiā pronunciat: qui hoc comederit, omnino viuet in æternum: hoc autem nullus malus potest comedere

In Ioānem tract. 26.

In cap. 15. Matth.

medere? etenim si fieri posset vt qui malus adhuc perseuerat, edat Verbum factum carnem, cum sit Verbum & panis viuus, nequaquã scriptum fuisset, quisquis ederit panem hunc viuet in æternum.

An doctrina de manducatione impiorum sit necessaria.

Quæ præterea primo capite affert, quod doctrina de manducatione impiorum sit necessaria, paucis perstringere satis est. Primum inquit verba Pauli 1. Cor. 11. recte explicãda esse, quod nos quoque fatemur, sed an hæc sit vera explicatio, indignè manducantes reos fieri corporis domini, quia illud realiter & substantialiter cum pane coniunctum ore sumant & non dijudicẽt, Christianis hominibus qui in scripturis versati sunt auditis vtriusque partis rationibus iudicandum relinquimus. Deinde expergefieri ait fideles vt se rectè ad cœnam domini preparent, in qua non tantum panẽ & vinum sumant, sed carnem & sanguinem domini ad vitam ęternã, ne hæc ad iudicium sumant sicuti impij. Hoc vt omnia illius calumniosè scribitur, quasi nos sentiamus in hac sacratissima cœna tantum panem & vinum ad famem & sitim sedandam porrigi & à Christo nobis donari, quod falsissimè nobis tribuitur. Ad verbum audiendum excitandi sunt fideles, vt non minus reuerenter id audiant quàm sacramenta percipiant, & tamen nemo illic statuit afferendam talem præsentiam corporis, qualis in cœna ab his affirmatur. Postremo ait lubricos Zuinglianos hac ratione depræ

hēdi poſſe: ſed hoc nihil ad nos, etenim nos aperte ſemper noſtram ſententiā profeſſi ſumus, neque ſub vllis ambiguis verborum inuolucris delitefcere voluimus. Imo ſi hoc eſt illud ficulnum folium quo anguillæ conſtringendæ ſunt, vtendum eo erit vt teneamus Vbiquiſtas, qui Chriſtum aiunt non eſſe corporaliter præſentem, & tamen rurſus corporaliter adeſſe, ſpiritualiter manducari non carnaliter, cœleſtem eſſe modū præſentiæ non localem, omnia hic eſſe ſpiritualia: execrantur nos qui craſſum aliquem modū præſentię aut manducationis illis adſcribamus: & tamen tantoperè contendunt impios qui ſpiritu & fide carent, ideoque ſpiritualiter Chriſtū edere non poſſunt, nihilominus verum & naturale atque ſubſtantiale Chriſti corpus, manu miniſtri vnà cum pane porrectum, & non in cœlo tantum, ſed iam omnibus locis in quibus cœna agitur præſens, ore ſuo ſumere, & faucibus etiam atq; dentibus manducare, vere & nō in ſacramento: ſi modo vere approbauit Lutherus Nicolai Papę ſententiam, & ea pręterea quę Vueſtphalus ſcripſit defendere voluerint. Hæc opinio cum craſſa prorſus & abſurda ſit, neque idoneis ſcripturarum & veteris eccleſię teſtimonijs comprobari poſſit, pij omnes ab ea ſibi diligenter cauebunt, ne tam craſſæ opinionis ſectatores aut defenſores exiſtant.

C A

CAPVT V.

De corporali ascensione Domini & seruatoris nostri Iesu Christi.

INTER reliqua dogmata fidei nostræ quæ ab aduersarijs nostris nouo modo explicantur ad stabiliendam realem existentiam carnis Christi in pane, articulus de ascensione Christi in cœlos non postremum locum tenet, de eo pauca agit hoc capite D. Andreas, ac omnem suspitionem innouationis à se auertere conatur, sed sequenti capite plura de hac re disputat. Ac " initio ait non esse controuersiam inter nos de " corporali ascensione Christi in cœlos, & simulat " se veterum sententiam probare, verè enim hæc " facta esse quæ de ascensione Christi scribuntur, " neque fuisse spectaculum quoddam imaginarium ein schynhandel. Ac falso nos accusare ipsos, inquit, quod ex ascensione disparitionem " quandam faciãt. Nos autẽ fingit docere nullum " esse discrimen inter ascensionem Christi & aliorum sanctorũ: Item Christum ascendisse in cœlos, & ad dextram Dei quæ sit certus locus consedisse, vt qua homo est nihil amplius carne " nobiscum in terris negotij habeat, & tantum " sanctus ipsius spiritus præsens omnia in ecclesia agat quæ Christus corporaliter præsens a- " cturus fuisset: Hanc nostram sententiam esse " manifestam deprauationem doctrinæ de ascen-

ſione, quoniam nemo vnquã Orthodoxus ſic docuerit. Sed Dei beneficio nullius erroris & deprauationis nos conuincere poteſt, ſed D. Andreas more ſolito, vt mox oſtendemus, per calumniam ea de nobis affirmat quæ nunquam ſcripſimus aut docuimus, cõtrà impudenter negat ea quæ docuerunt & docent ſui Vbiquiſtæ.

Andreas falſa de nobis affirmat

Primum vbi nam in noſtris ſcriptis oſtendere poterit, nos nullũ diſcrimen ponere inter Chriſti & aliorum ſanctorum hominum aſcenſioné in cœlos? Chriſtus in cœlos aſcendit, quo nos quoque aſſumendos reſuſcitatis corporibus noſtris ſperamus, vt vbi Chriſtus eſt nos quoque ſimus, iuxta ipſius promiſſionem, ipſe autẽ ſeruator noſter propria virtute in cœlos aſcendit, quo nos aſcendere non poſſumus, niſi ipſe nos ſua potentia & virtute ad ſe aſſumat. Chriſtum corpore ſuo in cœlos aſcẽdiſſe, ac in cœlis mãſurum eſſe donec redeat ad iudicandum viuos & mortuos, iuxta ſcripturas credimus & affirmamus, ideoq́ue negamus eum corporaliter carne ſua in terris præſentem eſſe: falſo autem nobis impingit aduerſarius, quod Chriſtũ carne ſua nihil nobiſcum in terris negotij & commercij habere affirmemus. An quæſo nulla eſt energia carnis Chriſti, niſi ſubſtantialiter & corporaliter aliquo in loco præſens ſit? Si ita ſentiunt, nę parum honorifice ſentiunt de maieſtate ſeruatoris, quam ſe aſſerere clamant: ſin communioni noſtræ cum Chriſto & energiæ eius locorum

eorum distantiam non obstare credũt, cur nos aiunt affirmare Christum, nihil negotij nobiscum habere quoad carnem & humanitatẽ suã, quando affirmamus Christum corpore suo in cœlis esse, non aũt corporaliter in terris præsentem esse: sed tamen eum esse caput nostrum, nos membra illius, ita coniuncta illi, vt omnis viuifica vis à capite in membra defluat, & ita se vere Christus nobis cõmunicet, quem spiritu & fide recipiamus, vbi locorum distantia, veram hanc & viuificam, sed tamen spiritualem cõmunionem fidei, & arctissimã nostri cum Christo vnionem non impedit. Neque tamen hic est status controuersiæ inter nos & aduersarios an Christus nihil agat nobiscum humanitate, scit enim D. Andreas nos energeticam præsentiã, efficaciæ & operationis, vnionem cum carne Christi, & eiusdem viuificam cõmunionem nõ negare, sed statum controuersiæ studiose mutat, vt nos in odiũ adducere possit, & auertere à suis culpam, quod ascensionem corporalem negent, & ex ascensione euanescentiam quandam & disparitionem faciant. Controuersia enim nobis est cum aduersarijs, an articulus fidei, Ascendit in cœlos, & ipsa historia ascensionis, ita sint intelligenda quemadmodum sonat litera, & vetus ecclesia semper intellexit, de corpore & corporali locatione. Hoc negant aduersarij, & ex ascensione disparitionem faciunt: ac quoniam id quod omnibus notũ est D. Andreas negare

Andreas statum controuersiæ mutat.

Vbiquistæ, ex ascensione disparitionem faciunt.

G

audet, Brentij & aliorum verba apponemus, vt omnes videant qantum fidei huic calumniatori tribuendum sit. Brentius in Acta apostolorũ homilia 3. Postquam venit quadragesimus dies ,, sublatus est in altum videntibus discipulis, & ,, nubes subduxit illum ab oculis eorum: hoc est, ,, quemadmodum antea per resurrectionem de- ,, posuit omnes carnis infirmitates, corruptionẽ ,, & mortem, quæ propter peccata nostra assump ,, serat, ita nunc per ascensum suum in altum depo ,, nit visibilem suam conuersationẽ in terris, quã ,, quadraginta diebus ad testificandã resurrectio- ,, nem suam assumpserat. Ascensus igitur Christi ,, in altum, de quo hic sermo est, nihil aliud est ,, quàm depositio visibilis conuersationis in ter- ,, ra, & subductio eius ab oculis hominum, vt nõ ,, amplius cõspiciatur ab hominibus in terra con ,, uersans. Idem in Recognitione pag. 159. Hoc ,, igitur externum spectaculum ascensus Christi ,, ex monte Oliueti est clausula earum apparitio- ,, num, quibus se hactenus à resurrectione disci- ,, pulis patefecerat. Item pag. 167. Postquã enim ,, absoluit externum spectaculum ascensus sui vs- ,, que ad nubes, nõ est pueriliter cogitandũ quod ,, progressus sit physico & corporali modo à nu- ,, bibus vsque ad fictitiũ illud cœlum quod Em- ,, pyreum vocarunt. Et mox. Sed sentiendum est ,, quod deposita forma, non quidem illa essentia- ,, li, qua vere homo est & semper homo manet, ,, sed accidentali, quam in externo ascensus spe- ctaculo

ſtaculo, ad tempus οἰκονομικῶς aſſumpſerat, recepè- "
rit formam Dei, quę aliquandiu forma ſerui te- "
cta fuerat, aut perrexerit omni cœleſti ſua maie- "
ſtate quam habuit frui. Conabitur fortè Andreas verba Brentij aliter interpretari, ſed primum quis ſit horum ſenſus ſimplex & genuinus facile animaduerti poteſt, deinde alij ex aduerſarijs palam & apertè affirmant aſcenſionem Chriſti eſſe diſparitionem & euaneſcentiam ex oculis hominum, & Illyricus id rationibus aliquot confirmare conatur, in libello de myſtica ſacramentalique ſeu externa præſentia & manducatione corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra cœna, obiectione 11. & 12. & 13. Idem 12. obie- M. Illyricus.
ctione ſcribit: Aſcenſio eſt non tantum euane- "
ſcentia ex oculis hominum, & tranſitus ex iſta "
viſibili conuerſatione hominum, in illud inuiſi- "
bile regnũ, & inacceſſibilem lucem Dei: ſed eſt "
quoque ineffabilis Chriſti exaltatio dextra Patris facta in ſummum gradum gloriæ ac dignitatis. Præterea Andreas Muſculus in tertia diſputatione Prop. 13. affirmat Aſcenſionẽ Chriſti fuiſſe quandam diſparitionem. A. Muscul.

D. Andreæ impudens mendaciũ.

Cum autem hæc eorum ſcripta publicè exſtent, & tamen nihilominus Andreas negare audeat ipſos ex aſcenſione domini diſparitionem facere, facilè ex tam luculẽto & manifeſto mendacio iudicium fieri poteſt, quid de reliquis ipſius aſſeuerationibus & proteſtationibus ſentiendum, vbi toties grauiſſimis verbis conque-

titur falso ipsis ascribi crassam & corporalem præsentiam, Capernaiticam manducationem. Negat se corporalem præsentiam docere, talem scilicet quali Christus ante ascensionem in terris præsens fuit: & grauissimè obtestatur ne hæc de ipsis asseramus, quod sit manifestum mendacium & calumnia; ac monet nós præcepti de non dicendo falso testimonio. Verùm nos nunquam illis tribuimus quod affirment Christũ eodem modo corporaliter ante & post resurrectionem præsentem esse visibiliter scilicet & sensibiliter; sed tamen ex his quæ supra citauimus & ex omnibus eorum scriptis cõstat ab ipsis doceri Christum vbique corporaliter in terris præsentem esse, ita tamen vt non amplius conspiciatur ab hominibus in terra conuersans. Controuersia autem est an corpus verum & naturale Christi substantialiter in terris præsens sit. Si igitur non adest vbique corporaliter vera corporis sui substantia, frustra præsentiam eius in cœna vbiquitate sua stabilire conãtur: quod si hoc affirmant, cur nobis indignantur quando eorum verba repetimus, & dicimus eos corporalem præsentiam docere, incircumscriptam tamen & inuisibilem. Neque enim hæc dissimulamus. Videat autem ipse doctor Andreæ quomodo à noxa absolui possit, qui & nos calumniatur ea de nobis affirmans quæ nunquam docuimus, & impudenter negat illa quæ Brentius & sui gregales apertè asseruerunt.

Probare

Probare deinde vult Christum quamuis in cœlos ascenderit, nihilominus corpore suo præsentem esse, quoniam apostolo teste ascenderit super omnes cœlos vt omnia impleret. Verum ad hanc obiectionem vt & ad alias nostri perspicuè responderunt, & nominatim Martyr atque Bullingerus. Vt autem demus hoc intelligendú esse de præsentia Christi, qua omnia impleat, ita vt omnibus rebus præsens adsit, non tamen hinc conficitur id quod de persona Christi dicitur, de humanæ naturæ substantiali præsentia intelligendum esse; Christum iuxta promissionem suam semper adesse suis vsq; ad finē mundi, & quidem vt Deum hominemque adesse nō est controuersum, sed aliud est Christum hominem præsentem esse, aliud humanitatē eius præsentem esse. Neque recte concludit de humanitate Christi loqui apostolum, quia is ascendit qui descendit, diuinitas autē cum non potuerit descendere quæ vbique præsens est, necesse esse vt hæc de humanitate eius intelligamus. Nam primum si id quod vbique præsens est non ascendit aut descendit, humanitati quoque id tribui non poterit, quàm ipsi vbique præsentem faciunt. Deinde si descensus humanæ naturæ tribuitur, & caro Christi è cœlis in vterū virginis descendit, videat quomodo veritatem humanę naturæ conseruet. Diuinitas quidem quæ vbique præsens est motu locali non ascendit aut descendit, tribuitur tamen Deo descensus per anthro-

Ephes. 4.

An Christus omnia impleat substantia humanitatis suæ.

Quæ est [illegible] anabaptistica opinio.

popathiam: & descensum Dei verbi Cassianus
„ ita explicat. Descendere, inquit è cœlo non po-
„ tuit nisi verbum Dei. Quod vtique cum in for-
„ ma Dei esset, exinaniuit semetipsum, formā ser-
„ ui accipiēs, in similitudinē hominū factus, &c.
„ Descendit ergo è cœlo Verbum Dei, ascendit au
„ tem filius hominis: ipsum ait ascendisse quem
„ descendisse. Ergo vides quod idem est filius ho-
„ minis qui Verbum Dei. Vigilius eos anathema
„ esse ait, qui dicant humanam naturam descen-
„ disse de cœlo.

An corpus substantialiter & tamen inuisibiliter adsit

Negat postea hæc inter se pugnare, Christū corpore suo substantialiter in cœna præsentem esse, non autem visibiliter præsentem esse: quod diximus perinde esse, atque si quis asserat ignē ardere, sed absque calore: aquam fluere, non tamen humidam & fluidam esse: præsentiam enim ait non esse corporalem aut localem, sed diuinam cœlestem & supernaturalem. Verum cū fateatur corpus Christi in cœlis iam glorificatum humani corporis proprietates essentiales seruare, necesse est vt ostendat non esse proprietatem corporis vt sit circumscriptum, vt videri & palpari possit: quo indicio Christus veritatē sui corporis discipulis post resurrectionem suā probauit. Si hæ sunt, vt reuera sunt, proprietates veræ & essentiales humani corporis, & tamen idipsum simul eodemque tempore substantia sua incircumscriptum & insensibile & inaspectabile præsens alibi est, omnino contraria de eo-

dem

dem affirmantur, neque excusat eos quod modum hunc præsentiæ diuinum esse aiunt, nam quæstio est de veri corporis substantiali præsentia. Modus autem dexteræ quem subinde iactat, non est alius modus præsentiæ, sed causam præsentiæ indicat, & est vetus eorum effugium, alijs tamen verbis tectum, etsi præsentia hæc aduersetur naturæ corporis, tamen idipsum tribuendum omnipotentiæ Dei id efficienti. Sed vt sæpe diximus, Deus potentia sua non efficit vt idem sit & nõ sit, vt substantialiter naturali modo sit circumscriptum & ita alicubi vt alibi nõ sit, & rursus diuino modo sit substantialiter incircumscriptum & vbique præsens. Postea simili-tudine ferri candentis è Basilio adducta ostendere vult carnem Christi non natura & proprietate humani corporis, sed ex natura spiritus (quem Christus iuxta humanitatem absq; mensura accepit) substantialiter, hoc est reipsa in cœna præsentem esse. Sed hæc ipsa similitudo aduersarij opinionem euertit, etsi enim ignis ferro aliquas proprietates cũmunicat non tamen omnes: neq; enim ferro dat suam leuitatẽ & vt sursum feratur, ac partes raras habeat neque sit amplius densum & solidũ corpus: nam ita non amplius ferrum esset. Sic diuina natura etsi humanam exornat, non tamen suas proprietates ita in illam transfudit vt illi tribuat ea quæ proprietati veri corporis contraria sint, nam ita aboleretur humanum corpus. Diuinitas est æter-

Nota B.

Similitudo ferri candentis.

na, incorporea, infinita, vbique præsens: si hæc essentialiter transfunderentur in humanam naturam, illa aboleretur.

CAPVT VI.

De cœlo beatorum sede, in quod Christus ascendit, quod sit certus locus à Deo fidelibus destinatus, & quod non sit ubique.

IN hoc capite D. Andreas primo ostendit se non dissentire à simplici doctrina de cœlo quam scripturæ tradunt, quod beatorũ mansio sit locus, ac quod sursum Christus in cœlos ascenderit, &c. quod tamen quam verè faciat, tota eius disputatio satis declarat. Deinde affirmat Christi ascensionem corporalem & visibilem in cœlos, non tollere aut constituere præsentiã eius in cœna: quoniam ante ascensionem Christus cœnam suam instituerit. Sed cum antequã cœnam institueret, non tantum de ascensione sua verba fecerit, ideoque nihil huic contrariũ posteà instituerit: sed modum quoque manducandi suum corpus non esse carnalem ostenderit hoc ipso quod in cœlos ascensurus esset, Ioannis 6: omninò articulus de ascensione ad explicationẽ præsentiæ eius in cœna adhibendus est. Nos quidem libenter damus illi, non consequi ex ascensione Christi in cœlos, corpus eius vbique aut multis saltem in locis præsens esse: sed

An ascẽsio tollat aut statuat præsentiã Christi in cœna.

addimus

addimus quia in cœlo circumſcriptum & definitum corpus Chriſti manet, ita vt non ſit vbique, ſed vno tantum in loco ſeu vbi, in ipſo cœlo, vbicunque tandem fuerit, effici hinc id non in cœna ſubſtantialiter & corporaliter præſens eſſe, niſi vel id quod prius conceſſum eſt negare velimus, aut contraria de eodem Chriſti corpore affirmare. Porro quod addit præſentiam Chriſti in omnibus locis, quam illi vi ſimplicium verborum cœnæ aſcribant, hinc eſſe, quod Deus & homo in Chriſto ſunt vna perſona, & aſcenſione humana ipſius natura ad dexteram maieſtatis collocata eſt, de hoc poſtea ſuo loco agemus: obiter tantum hic admonentes, vniuerſam aduerſariorum doctrinã inniti, falſæ & ex papiſtico fermento enatæ opinioni de corporali præſentia Chriſti in cœna, quam violenter ex verbis cœnæ male intellectis ſtabilire ſibi videntur: interim verum ſenſum verborum cœnæ non quærentes.

Proponit deinde quæſtionẽ, & grauiter nos obteſtatur, vt ſimpliciter reſpondeamus, neque vlla ſubterfugia & latebras quæramus, ac non ambigue, ſed ingenue ita vel nõ reſpondeamus. Verum non opus erat his obteſtationibus, nos enim Dei beneficio non pudet noſtræ doctrinæ, neq, latebras vllas quærimus aut quæſiuimus vnquã, ſed ſi vult ſibi tam breuiter ac categorice reſponderi per affirmationem vel negationem, caueat ne ipſe in proponenda quæſtio-

ne vtatur ambiguis verbis, id enim vbi fit, necesse est prius distinctioné adhiberi, antea quã id quod quæritur affirmari aut negari possit. Videtur autem mihi D. Andreas Papisticos inquisitores imitari, qui eos quos examinant, tantũ simpliciter respondere iubent, credant nec ne articulos sibi propositos, neque patiuntur eos rationem fidei suæ reddere, ne ipsorum errores patefiant. Quæstio ad quam nos respondere iubet hęc est, An humana natura assumpta à filio Dei in vnam personã, altius posita sit omnibus cœlis. Respondemus altum, & de situ corporum dici, & de excellentia humanæ naturæ: posteriori modo fatemur humanam naturã à filio Dei assumptam omnibus creaturis præstantiorem factam esse: humana quidé natura in se, angelica natura inferior esse videtur, vnde scriptũ est, Paulo inferiorem angelis fecisti eum: attamen in vnitatem personæ à filio Dei assumpta, facta est primogenita, hoc est præstantissima, omniũ creaturarũ. Sed cum humana natura, etiam vnita filio Dei, seruet substantiales suas proprietates, ideoque Christi verum corpus non possit esse absque loco, seu certo vbi: sublato enim loco, si corpora nusquam sunt, etiam non sunt, vt D. Augustinus docet: dicimus aperte & perspicue, quod ad locationem corporis Christi, illud personali vnione non esse altius omnibus cœlis collocatum. Neque propterea cœlos supra Deum attollimus vti Andreas ait: neque enim sequitur

An humanitas Christi sit altior omnibus cœlis.

Diuinitas

Diuinitas est infinita & supra omnes cœlos, humana natura in Christo diuinæ naturæ in vnã personam est vnita: ergo humana natura ita supra omnes cœlos euecta est, vt non amplius sit in cœlo. Vnio personalis non tollit neque confundit naturarum proprietates, & cum diuinitas dicitur supra omnes cœlos esse, nihil locale intelligẽdum est. loquimur enim de natura Dei incorporea & infinita: sed cũ loquimur de corpore Christi, quod verum corpus & circumscriptum est, ac hanc veri corporis proprietatẽ seruat, illi locum, seu certum & definitum vbi recte tribuimus. Christus enim localiter in his terris ante ascensionem præsens fuit, sui autem corporis substantia non fuit supra omnes cœlos euectus, & tamen nihilominus salua fuit vnio humanæ naturæ cum filio Dei. Ac noua hæc est interpretatio verborum Christi Nicodemum alloquentis, quod Christus eodem tempore in terris simul & in cœlo humanitate sua præsens fuerit: quum veteres omnes hęc interpretentur Filium hominis de cœlo descendisse, & in cœlo fuisse quum loqueretur in terra, per communicationem idiomatũ, quod non sit alius filius Dei & alius filius hominis, sed vnus idemque Christus, humanitate sua in terris existens, diuinitate sua in cœlo & vbiq; præsens. Quod si aliter verba Christi interpretari velimus, de humana natura realiter & substantialiter existente in cœlis quum loqueretur in terra, tollitur humanæ

naturæ proprietas adeoq́ue ipsa abolctur: contraria enim simul de eadẽ natura affirmari non possunt, vt in terris localiter præsentẽ esse, hoc est ita præsentem vt substantia sua alibi non sit, & rursus idem alibi, hoc est in cœlis esse. Et veteres hinc probarunt in Christo duas esse naturas, quoniam contraria de eo affirmantur, in loco esse, & vbique esse.

Quomodo Christus ascenderit supra omnes cœlos.

Act. 1. & 2. cap.

Lucæ 24.

Quod verò Paulus scribit, Christũ ascendisse supra omnes cœlos, quomodo accipiendum sit, alia loca scripturæ satis indicant, quæ aperte docent Christum corpore suo in cœlos ascendisse, in cœlo esse, & cœlo capi, vsq; ad extremum diem quando inde venturus est ad iudicandum viuos & mortuos. Non igitur credendum est Paulum his contradicere, vt Christum extra cœlos corpore suo collocet, sed cum cœli nomen & aëri tribuatur, & cœlesti syderum regioni, docet Christum ita in cœlos ascendisse, vt supra aspectabiles cœlos in sedem beatorum & summam cœlorum sublimitatem receptus sit: atque sic D. Hieronymus scribit, Christum supra omnes cœlos ascendisse, & super inuisibilia stetisse: nimirum in regionibus beatorum quæ nobis inuisibiles nunc existunt. Quod si cœlũ vt Brentius scribit maiestate Dei definitur, vt vbicunq; Deus maiestate sua regnat ibi sit incorporeum & spirituale cœlum, dicant nobis Vbiquarij an supra omnes cœlos ascẽderit, vt sit extra cœlos, hoc est extra maiestatem? Si permittunt sibi vt

cœli

cœli nomine allegoricè sumpto, Christus supra cœlos ascenderit vt tamen sit in cœlo, cur non idem nobis licet qui cœlorum nomen simpliciter accipimus?

Sed nouo argumento nostram interpretationem confutat, & verba Pauli à nobis peruerti, nostramq; doctrinã de cœlo nihil esse quam carnale & terrenum quoddam figmentũ probare conatur. Cœlum, inquit, beatorum nondũ existit, sed adhuc creabitur iuxta testimonium Esaiæ 65. Ecce enim ego creo cœlos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor. Sed gaudebitis & exultabitis in sempiternum in his quę ego creo. Item 66. cap. Nam sicut cœli noui & terra noua, quæ ego facio, stant coram me, sic stabit semen vestrum & nomen vestrũ dicit dominus. Quare Christus ascensione super omnes cœlos, non ascendit in cœlum beatorum. Etsi autem verba Esaiæ non incõmodè possunt allegoricè accipi, & totum illud vaticinium allegoricum est de noua Hierusalem & eius ciuibus, vbi nõ erit infans dierum, & senex qui non impleuerit dies suos: vbi domus ædificabũt & habitabũt in illis, atque plantabunt vineas, & comedent fructum earum: vbi denique lupus & agnus pascẽtur simul, & leo sicut bos comedet paleã, &c. sed nos libenter damus aduersario cœlorum nomen simpliciter accipiendum, non tamen inde conficitur, cœlum beatorũ nondum esse creatũ.

Cœlũ beatorũ nondũ esse creatũ dicit D. Andreas.

Primum enim audiamus Lutherũ huius loci interpretem. Illi cœli, inquit, iam corã Deo sunt creati, nobis tamen propter hanc carnẽ in qua viuimus (sicut dixi) nondum apparent. Atque hanc interpretationem videtur confirmare sequentia verba, Ecce ego creo Ierusalem exultationem, & populum eius gaudium. Non autẽ ecclesia quę est Hierosolyma, & fideles qui sunt populus nouæ Hierosolymæ, extremo demum die creabuntur, sed gaudium fidelium perficietur, & ecclesia quæ nunc obscura & contempta coram mundo & penè ignota est, conspicua, clara & illustris erit. Sed tamen hanc interpretationem non vrgemus, cum ipse Lutherus videatur cœli nomen allegoricè accipere: verum ideo eius mentionem fecimus, vt Lutheri authoritate, quã aduersarius subterfugere non potest, ostenderemus verbũ creandi hic non accipi necessario de noua creatione aut productione rei nondum existentis, sed ea quoque quę sunt nobis promissa, nondũ aũt cernuntur ac possidentur, tum noua creari quum nobis dantur atque patefiunt. Porrò non improbamus D. Augustini sententiam, qui de cœlo nouo & terra noua sic scribit lib. 20. de ciuitate Dei. Tunc (post extremum iudicium) figura huius mundi mundanorum ignium conflagratione preteribit, sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluuij. Illa itaque vt dixi conflagratione mundana elementorũ corruptibiliũ qualitates,

quæ

quæ corporibus noſtris corruptibilibus con- "
gruebant, ardendo penitus interibunt: atque ip "
ſa ſubſtantia eas qualitates habebit, quę corpo= "
ribus immortalibus mirabili mutatione con- "
ueniant: vt ſcilicet mundus in melius innoua= "
tus, apte accõmodetur hominibus, etiam carne "
in melius innouatis. Quare creatio cœli noui & terræ nouæ, cuius etiam mentio fit Apocal. 21. cap. eſt cœlorum & terræ innouatio de qua ſcribitur Pſal. 101. item 2. Pet. 3. De quo autem cœlo hæc intelligenda ſint, ex verbis D. Petri idem docet his verbis: D. Petrus cõmemorans "
factum ante diluuium, videtur admonuiſſe quo "
dammodo, quatenus in fine huius ſeculi mun= "
dum iſtum periturum eſſe credamus. Nam & il "
lo tempore perijſſe dixit: qui tunc erat, mundũ: "
nec ſolum orbem terræ, verum etiã cœlos, quos "
vtique iſtos aëreos intelligimus, quorum locũ "
ac ſpacium tunc aqua creſcendo ſuperauerat. "
Ergo totus aut pene totus aer iſte võtoſus, quod "
cœlum & potius cœlos vocat: ſed iſtos vtique "
imos non illos ſupremos vbi ſol, & luna, & ſy- "
dera conſtituta ſunt, conuerſus fuerat in humi- "
dam qualitatem: atq; hoc modo quum terra pe "
rierat, cuius terræ vtique prior facies fuerat de- "
leta diluuio. Qui autem nunc ſunt, inquit, cœli, "
eodem verbo repoſiti ſunt, igni reſeruandi in "
diem iudicij & perditionis hominum impiorũ. "
Proinde qui cœli & quæ terra, id eſt, qui mun- "
dus, pro eo mundo qui diluuio perijt ex eadem "

aqua repositus est: ipse igni nouissimo reseruatur in diem iudicij, & perditionis hominum impiorum. Nam & hominum propter magnam quandam cōmutationē, non dubitat dicere perditionem futuram, cum tamen eorum, quamuis in æternis pœnis sit mansura natura. Quærat forsitan aliquis, si post factum iudiciū mundus iste ardebit, antequam pro illo cœlum nouum, & terra noua reponantur, eo ipso tempore conflagrationis eius, vbi erunt sancti, quum eos habentes corpora in aliquo corporali loco esse necesse sit? possumus respondere, futuros eos esse in superioribus partibus, quo ita non ascendat flāma illius incendij quemadmodum nec vnda diluuij. Talia quippe illis inerunt corpora, vt illic sint vbi esse voluerint. Sed nec ignem conflagrationis illius pertimescēt immortales atque incorruptibiles facti: sicut virorum trium corruptibilia corpora, atque mortalia in camino ardenti viuere illæsa potuerunt. Ex his D. Augustini verbis apparet cœlum innouandum, hoc est aerem cui etiam cœlorum nomen tribuitur: superiores autem cœlos non absumendos aut mutandos in illa conflagratione mundi. Cum autem apertè affirmet incorruptibilia illa sanctorū corpora post resurrectionē, quæ illic sunt vbi esse voluerunt, necessario in aliquo corporali loco esse, facile ex hoc ipso etiamsi nulla alia eius scripta extarent, colligere possumus ipsum longè aliter de cœlo sensisse &

docuisse

docuiſſe quam Vbiquiſtæ docere ſoleant. Ac quod ad cœlum ſydereum attinet, non repugnamus eorum ſententiæ qui illud quoque renouandum & in melius tranſmutandum cenſent, iuxta illud, Ab initio domine tu terram fundaſti, & opera manuum tuarum cœli ſunt: ipſi intereunt tu autem permanes: omnes vt veſtimentum veteraſcent, & velut pallium circumuolues eos, & mutabuntur, quæ mutatio creatio dicitur, Emittes ſpiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciē terræ, Sed propterea non conficitur, eadem dici de manſionibus beatorū in cœlis, quas pij doctores ab his aſpectabilibus cœlis diſtinctas eſſe conſtāti conſenſu affirmāt: multo minus verò ſequitur nondum creatum eſſe cœlum hoc beatorū, vti Andreas affirmat. Si enim beatorum manſio, ſeu cœlum in quo habitabunt beati nondum eſt creatum, quomodo dicit dominus, In domo patris mei multæ manſiones ſunt? Sunt, inquit, non autem erunt vel adhuc creabuntur. Quomodo verò ouibus à dextra poſitis Rex ille Filius hominis dicet, Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum paratū vobis à iactis fundamētis mundi? Quod ſi rectè de cœlo interpretatur verba ſcripturæ Brentius, quæ oculus non vidit, auris non audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ijs qui ipſum diligunt: non rectè à Iacobo aſſeritur cœlum adhuc creandum eſſe: quum hæc præparata dicat ſcriptura, non autē

ὀρθῶς - νυ σὺ ἀ.

adhuc paranda. Etsi verò non difficile nobis esset ostendere, quátam consolationem fidelibus adimat Iacobus Andreæ, hoc suo nouo dogmate, quod ex vnico scripturæ loco male intellecto extruere conatur, ac simul etiam indicare quænam absurda hinc consequantur, attamen hæc iudicio lectorum relinquere malumus, potius quàm ipsius exemplo huiusmodi consequentias connectere. Cæterum quàm bene hæc conueniant cũ alijs scriptis D. Andreæ, paucis indicabimus, vt videant moderati lectores, eum qui toties nos mendacij falsò accusat, sibi ipsi nequaquam constare, & (dicamus enim quod rei indignitas postulat) ipsum potius totum ex mendacijs & calumnijs consutum esse. Primum fatetur Christum corporaliter in cœlos ascendisse, & inde venturũ ad iudicium. Adhæc Christum iuxta modum gloriosi corporis esse in cœlo, non quidem physico more loco circumscriptum, sed tamen proprietate substantiæ, finitũ. Adducit etiam hoc loco Augustinum scribentem, satis esse vt credamus Christum esse in cœlo, non autem quærendum esse, vbi aut quomodo in cœlis sit, & quid ibi faciat. Indignatur nobis quod scripserimus eos negare cœlum mansionem beatorum: & tamen constanter affirmat cœlum, quod beatorum mansio est, nondũ esse creatum. Quomodo igitur Christus corporaliter in cœlos ascendit qui nondum sunt? Potest ne inde venire ad iudicandum, si demũ sub extremum

D. Andreæ sibi contradicit.

Cap. 5.

Contra Bezam.

extremum diem creabuntur? Quomodo credere possumus Christum esse in cœlo quod nondum creatum est? Nam non puto ipsum dicere Christum in cœlos ita ascendisse, vt in syderum orbibus degat & inde venturus sit. Et cum duplicem ascensionem faciat, vnam corporalem & visibilem, & aliam diuinam, qua humanitas in vnitatem personę assumpta & à filio Dei ad dexteram eius collocata est; hæc non possunt dici de illa peculiari ipsorum ascensione, siue exaltatione humanæ naturæ, nam illa non est corporalis, neque corpus Christi in hoc cœlo & hac ascẽsione gloriosum aut definito modo circumscriptum agnoscunt. Dicant ergo nobis quodnam sit illud cœlum in quod Christus ascendit corporaliter, in quo pro more gloriosorum corporum degit, si hoc non est cœlum illud in quo sunt beatorũ mansiones? aut si illud ipsum est, quomodo cœlum nondum creatum affirmant; in quod Christus ascendit, & in quo glorioso suo corpore degit? Verè igitur nihil nisi meræ præstigiæ sunt, quoties iactant se simpliciter historiam ascensionis ab Euangelistis traditã credere, ita enim vulgus hominum decipiunt, ne noua & absurda eorum figmenta deprehendat & detestetur.

Corpora nostra, inquit, spiritualia erunt, itaque alia ratio erit cœli in quo hæc erunt, quam cœlorum qui iam creati sunt: & sicut non intelligimus quid sit corpus spirituale, ita etiam cor

An corpora spiritualia nouo & spirituali cœlo opus habeant.

» poris huius & cœlorum proprietates ignora-
» mus : quare credamus vt Augustinus ait, Chri-
» stum esse in cœlis, neque quæramus vbi & quo
» modo illic sit aut quid agat. Quis credat tantum doctorem, cui ingenium non deest, & in disceptandi ratione se diu exercuit, hoc argumento vsurum fuisse, nisi crederet vel nunquam nos illi responsuros, vel si id faceremus, neminem fore in suo theatro qui responsionem nostram lecturus esset? Quæ enim quæso est huius argumenti consecutio? Corpora nostra erunt spiritualia, ergo non erunt in cœlo creato, sed alia erit noui cœli ratio, quod scilicet spirituale erit. An verò cœlum nouum increatum erit, in quo post resurrectionem degent corpora nostra? Quod si per cœlos creatos intelligit aërem, aut solis & lunæ aliorumq; syderum orbes, scit nos non de his loqui, cum beatorum mansionem in cœlis esse dicimus, qui tamen omnibus his superiores sint. Angeli sunt spiritus, & tamen sunt in cœlo, nō quidem eo modo quo corpora quæ loco circumscribuntur, sed proprietate substantiæ ita definiuntur vt cum alicubi sunt, vbicunque fuerint, alibi non sint. Si igitur spiritus ipsi sunt in hoc cœlo, quomodo corpora spiritualia non possunt in eo esse, sed alio nouo & spirituali cœlo opus habebūt? Nescimus ait, qualia sint futura corpora spiritualia: At scimus corpora nostra non mutanda in spiritualem substantiā, sed fore nihilominus corpora, quare non erunt

in cœlo

in cœlo incircumſcripta, imo Auguſtinus, cuius verba ſupra poſuimus, apertè aſſerit ea neceſſario in corporali loco eſſe. Etſi corpora erunt ſpiritualia, non tamen ſequitur eorum manſiones non eſſe corporeas: anima noſtra ſpiritualis eſt ſubſtantia, & tamen corpore continetur. Neſcimus quale ſit cœlum in quo erunt, ſed nũ propterea cœlum hoc nondum creatũ eſt, quod ipſe hinc probare conatur? Credendum eſt Auguſtino Chriſtum eſſe in cœlo, at Auguſtinus loquitur de cœlo beatorum, quod cum D. Andreas nondum creatum eſſe perhibeat, quomodo credam Chriſtum in cœlo eſſe quod nondum exiſtit?

Addit poſteà nos dupliciter cũ Chriſto poſt aſcenſionem eius in alio mundo eſſe: primum quemadmodum humana natura vna perſona eſt cum diuinitate, vbi nulla loci & temporis ratio habetur. Deus enim extra tempus & in omnibus locis eſt. Atque hoc modo Chriſto omnia extra tempus & locum præſentia ſunt, & ipſe viciſſim omnibus rebus præſens eſt. Hanc ſuam ſententiã Lutheri auctoritate tuetur, quã prius ſcripturæ teſtimonijs munire debuerat. Deus quidem extra tempus & vbique eſt, ſed non inde ſequitur humanam naturam extra tempus & in omnibus locis ſubſtantialiter præſentem eſſe, etiamſi vnita fuerit diuinæ naturæ: alioqui ſi propter vnionem debet extra locum ſtatui, vt vbique præſens ſit, debet etiam extra

Nos cum Chriſto in alio mundo eſſe.

Not. B.

tempus poni, vt sit æterna. Et hanc ipsorú consecutionem dudum confutauimus, productꝗ etiam Augustini testimonio, qui negat consequens esse, vt quod in Deo est vbiq; sit vbi Deus est. Adhæc si vnio personalis efficit vt humana Christi natura sit extra tempus & in omnibus locis, videant quomodo se à Martionitarú errore tueri possint, neque enim vere Christus ætate profecit, & diuersis temporibus atq; locis ea fecit & nostræ salutis causa pertulit, quæ de illo nobis tradidit euangelica historia, si substantia humanitatis suæ extra tempus & locum fuit. Quomodo verò nos in alio mundo eodem modo sumus? nam si personalis vnio hæc contulit Christo, nos autem sumus non personaliter Deo vniti, quomodo extra tempus & locum sumus? Dicat forte se non loqui de substantia, quod corpora nostra, aut etiam Christi corpus, tempore & loco non definiantur, sed se loqui de præsentia, qua humanitati Christi omnia sunt præsentia, ità vt conscia sit diuinorum operum & conformi ipsius voluntate omnia fiant atq; hoc modo Christo omnia præsentia sint, & nos quoque cum Christo simus, ac rursus per anastrophen Christus omnibus rebus præsens esse & omnia gubernare etiam secundum humanitatem dicatur. Verum de hac præsentia non est inter nos cõtrouersia, etsi enim humanitati propter lumen diuinitatis, in verbo cui vnita est, omnia sunt præsentia, sic vt cuncta cernat vt in

Deo

Deo sunt, & illi sunt præsentia, non tamen propterea ipsa humanitas singulis rebus substantialiter præsens est, cum nihilominus maneat finita natura: similiter gubernationis munus, quod scilicet humana natura non modo conscia est diuinorum operum, sed etiam conformi voluntate omnia gubernat, non efficit vt humanitas omnibus rebus substantialiter præsens sit. Nam vt Cyrillus docet, gubernat Christus omnia nõ carnis præsentia, sed deitatis virtute, qua adest non vt Deus verbum tantum, sed vt verbum incarnatum. At inter nos & aduersarios controuersia est de reali & substantiali atque corporali carnis & sanguinis Christi præsentia, qua carnem Christi pani ita præsentem faciunt, coniungunt atque alligant, vt vnà cum pane corpus Christi verum & substantiale manu ministri porrigi, & ore sumi, etiam ab impijs affirment. Quare fide alia quàm de substantiali & corporali præsentia D. Andreas loquitur, nobis non aduersatur, neque Lutheri sententiam quã tuendam suscepit probat, sed potius fucũ facit & oculos vulgi perstringit, qui aliam præsentiam credunt & eandem à D. Andrea probari putant, cũ ipse de longè alia præsentia loquatur.

Quoniam verò D. Andreas Lutheri auctoritatem nobis opponit, nos Zuinglij verba adijciemus, quibus Luthero, quem hoc loco laudat aduersarius, respondit. Cum enim is Zuinglio obiecisset, non modo Christum in cœlis fuisse

tum temporis cum in terris versaretur, verum etiam Apostolos, & omnes credentes in Christum, cum adhuc in terris mortales sunt, cum ipso in cœlis esse, ille ad hunc modũ respondit: Si Lutherus Christum cum in terris ageret eo modo in cœlis quoque corporaliter fuisse dicit, quo nos etiamnum hodie in cœlis sumus, quid quæso contentiones & lites serit? Sic enim non in hac modo sententia cum illo conueniemus, verũ etiã in ipso disputationis nostrę capite omni disceptatione sublata vnanimi cõsensu idem docebimus, hoc nimirum modo. Nos iam nũc corpore, anima & mente in cœlis sumus. (Nec enim puto Lutherum in ea esse sententia, vt in cœlis esse Cosmographice dictum velit, eo nimirum sensu, quo omnia corpora cœlis comprehenduntur) in Dei videlicet scientia, cognitione, electione, prouidentia, &c. Interim tamen ipsa corpora nequaquam naturaliter vel essentialiter in cœlis sunt. Simili modo Christus quoque tunc temporis in cœlo fuit, cum adhuc in terris viueret, tantoque magis, quod ipse vna cũ Dei filio persona est: adhuc tamẽ non ipse Christus corpore suo naturaliter & essentialiter in cœlis erat. Quid verò hoc contra nos pugnare potest? Non aliud certe, quàm mellitum illud pharmacum est, quo simplicium quorundam labia oblinuntur. Agedum ergo, si hæc Lutheri est sententia, facile equidem in gratiam cum illo redire & ipsi assentire poterimus. Christi

corpus in cœna esse eo modo, quo corpora no- "
stra iam nunc in cœlis sunt, non inuiti agnosci- "
mus, & fatemur, in Dei nimirum cognitione, "
electione & prouidẽtia. Qui enim in cœna Chri "
stum non agnoscit, ipsi non confidit, in ipsum "
non omnem animi sui fiduciam collocat, de ip- "
so denique non plenissimè & infallibiliter cer- "
tus est, quod veram humani generis infirmita- "
tem assumpserit, & hac nostros morbos & infir "
mitatem sustulerit omnem, nos veros Dei filios "
& cœlestium bonorum hæredes constituerit: "
qui (inquam) hęc non certo agnoscit, nec etiam "
dignas agit gratias, is iudicium sibi manducat. "
Ad hunc ergo modum ipsum in cœna præsen- "
tem habemus: vt verò ipsum naturaliter, essen- "
tialiter & corporaliter habeamus, tam est im- "
possibile, quàm vt ipsum Lunæ corpus in pa- "
ropside aliqua nobis præsens sit, eo quod hanc "
suis radijs illuminet. Et periculum equidẽ est, "
ne qui se citra omnem animi hæsitationem ip- "
sum in cœna corporaliter adesse credere iacti- "
tant, ingentes thesauros animo concipere qui- "
dem, quos tamen reipsa propius inspecta, nec "
thesauros nec carbones esse depræhendant. "

Secundo ait Christum corpore suo esse in cœlesti essentia, statu, natura, aut vita (in einem himmelischen wåsen) quæ non sit similis præsenti vitæ. Hic verò neminem arbitror adeo delirare, qui pręsenti vitę futuram vitam & cœlestia gaudia similia esse dicat: sed num ideo se-

quitur, Corpora in hac vita ſunt in loco, ergo in altera non erunt in loco? Si ita argumẽtari licet, dicam, Corpora noſtra hic ſunt finita, ergo illic erunt infinita, Hic ſunt corpora, ergo illic erunt ſpiritus. Si alicuius infirmitatis & corruptionis mentio fiat, rectè ita argumentari licet, vt ſi dicã ſtatum corporum in præſenti vita eſſe vt ſint caduca, mortalia, craſſá & ſtupida, quæque difficulter moueantur, ſed aliam eſſe conditionem futuræ vitæ, tum enim fore immortalia, lucida & agilia corpora. Sed in his quę ad ſubſtantiam corporis pertinent non ita licet argumentari: docent enim nos ſacræ literæ corpora etiam glorioſa humani corporis ſubſtantiales proprietates ſeruare, & hinc rectè conficit Auguſtin. neceſſe eſſe vt cũ ſint vera corpora, ſint in loco: & alibi (vt dixi) Iacobus Andreæ ſcribit corpus Chriſti glorioſum definitiuè in loco eſſe. Oſtendat igitur nobis illum locũ ſeu illud vbi, ſi cœlum beatorum nondũ eſt factũ?

An cœlum allegorice locus nominetur.

Reſpondet deinde ad ſcripturæ teſtimonia quibus oſtendimus cœlum locum nominari, hæc ita intelligenda eſſe atque cum ſcribitur fore vt & edamus & bibamus in regno cœlorum. Porrò cum figuratarum locutionũ hoſtes ſint noſtri aduerſarij, adeò vt in cœna domini nullũ tropum admittere velint, quem tamen vſitatus mos loquendi de ſacramentis, & illorum analogia, atque fidei noſtræ ratio exigit, quî fit quod omnia quæ de cœlo, de Chriſti aſcenſione in cœlos, de

los, de beatorũ mansionibus, de inferis & damnatorum loco scribuntur, per tropũ exponunt, neque hic rationes afferunt, cur debeamus verba Christi quibus mansiones cœlestes locum nominat allegoricè accipere? Cum dicimur esuri & bibituri in regno cœlorũ: non tantum rei absurditas, sed ipsæ scripturæ hæc verba tropicè accipienda esse docent: dicitur enim nos fore similes angelis: corpora item nostra ab omni corruptione libera fore: quare neque cibo neq; potu egeant necesse est. Sed cur corpora nostra nõ sint futura circumscripta & localia nulla ratio affertur: & circumscriptio nõ est corruptio, sed ad naturam corporis pertinet, ita vt corpus nullum intelligere possimus nisi quod sit circumscriptum, & partes vt dicitur extra partes habeat. Quare cum naturam suam substantialem retineant corpora gloriosa, & ad hanc pertineat loci circumscriptio, nõ video cur cœlestes mansiones non debeamus simpliciter iuxta scripturas locum nominare, & potius hic tropos quærere.

Controuersiam de cœlis corruptibilibus, & cœlesti conditione corporum nostrorum post resurrectionem, negat ad controuersiam de cœna pertinere, quoniam non sit præsens pro modo gloriosi corporis: sed pro modo dexteræ Dei, propter personalem vnionem quæ sit longe altior ascensio, quam illa corporalis ascensio. Verum nos non contendimus de cœlis corruptibi-

An quæstio de cœlo ad causam cœnæ pertineat.

Not. B.

libus, sed de beatorum mansione quam incorruptibilem esse docemus: quá ille negat creatam esse, Brentius verò vbiquariam facit. Meminerit etiam se dissentire à Luthero qui Christum iuxta modum gloriosi corporis in cœna præsentem asserit. Cum autem personalem vnionem facit ascensionem, & quidem corporali altioré, articulos fidei confundit: aliud enim est dogma Filium Dei conceptum esse ex spiritu sancto & natum ex Maria virgine: aliud eundem post resurrectionem à mortuis ascendisse in cœlos, & sedere ad dexteram Dei. Quare quod nobis tribuit, de se iustius dicere potest, quod hæc confundat & ita præstigio quodam decipiat oculos vulgi. Nam quando métio fit Ascensionis Christi in cœlum, pij omnes hactenus simpliciter intellexerunt illam ascensionem quæ nobis in Euangelica historia describitur: & D. Andreæ simulat se nobiscum sentire: mox incipit loqui de ascésione qua Christi humanitas altior facta sit omnibus cœlis & vbiq; præsens existat: cum illi opponimus historiam ascensionis, aliam inquit esse hanc ascensionem, nempe personalem vnionem. Atque hoc modo personalem vnionem cum alijs articulis fidei confundit, & ea abutitur ad sua figmenta stabilienda: non enim ex personali vnione conficitur humanitatem Christi ita euectam esse vt substantialiter vbiq; præsens sit, sicuti sæpe ostendimus, & suo loco rursus demonstrabimus.

D. Andreas confundit articulos fidei.

Rursus

Rursus ex verbis Christi Matth. 18. Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei qui in cœlis est, colligit cœlum in quo sunt angeli tum cum in terra pijs seruiũt, non multum à terra distare: sed sophistica fide plus assumit quàm in ipsis Christi verbis proponatur, neq; enim Christus asserit angelos in terris seruiẽtes simul in cœlo esse, sed faciem Patris in cœlis videre, neque enim ait οἱ ἐν οὐρανοῖς. Sed absque articulo ponitur, vt dudum Zuinglius contra Lutherum annotauit, qui eodem testimonio probare voluit angelos simul in cœlo & in terra esse. Nouum autem non est si quis è loco in aliũ locum prospiciat, in quo tamen corpore præsens non est. Si enim Stephanus qui in cœlis corporaliter non erat, Christum in cœlis videbat, cur non angeli dum in terris Dei mandata exequuntur, nihilominus patrem qui in cœlis est videre possunt? Neque necesse est cœlum terræ coniungere, aut hęc inter se confundere: si enim nos corporali visu cernimus sidera in firmamẽto, quanto magis puræ illæ & incorporeæ substantiæ Deum qui totus vbique præsens est videre possunt, in ea maiestate quàm in cœlis demonstrat, munere interim suo in terra perfungentes?

Quoniam verò Patrum & totius vetustatis consensum allegauimus, neque id simpliciter negare audet D. Andreas, ne prorsùs omnem pudorem exuisse videatur, respondet Patres

De Patrum testimonijs.

quidem credidisse esse cœlum in quo pij in æternum mansuri sint, sed non tam pueriliter atque Zuingliani de hoc cœlo cogitasse. Equidem de cogitationibus ex verbis & scriptis iudicandũ puto, ostendat igitur nobis quæ nam sint nostræ tam pueriles cogitationes quæ non cũ Patrum orthodoxorum scriptis consentiant: id autem quoniam scit non posse à se præstari, alio confugit vt Patrum testimonia reijciat, ac inquit hæc eorum scripta, quæ nobiscum faciunt, humanas esse cogitationes, ideò dijudicanda iuxta Esaiæ testimonia à se cõmemorata. Equidem neutiquam ex eorum numero sumus qui scripturas postponamus Patribus, aut eas ex his dijudicari velimus: sed rem indignam & nõ ferendam esse dicimus, quod tantum sibi sumit homo arrogans, vt ex vno scripturæ loco non bene intellecto audeat nouũ dogma extruere, & vnica exceptione omnium vetustissimorum interpretationes, aliorum locorum scripturæ testimonijs confirmatas, reijcere. Adducit verba Isaiæ & ea prout sibi visum est interpretatur; adduxit D. Augustinus, si non eadem verba, eandem tamen sententiã ex Apocalypsi, & hanc collatione eorum quæ in Psalmis & in epistola D. Petri leguntur piè & religiose interpretatur: cum Augustino veteres consentiunt: cur ergo non potius Augustino scripturas per scripturas interpretanti crederemus, quam D. Andreæ, qui iuxta sui capitis somnia ea explicat? Postremo

Arrogãs Andreæ factũ. Not.

Postremo loco huius capitis admodum nobis indignatur, quod tribuamus ipsis cœlũ Vbiquarium, quod non tantum in terris, sed apud inferos quoq; existat. Et quoniam artẽ calumniandi & criminandi optime tenet, ac nos suo pede metitur, hæc à nobis proferri ait, vt ipsorũ doctrinã in odium apud auditores nostros adducamus. Ac denuo monet, ne falsum testimonium dicamus, mortis nanq; reum esse falsum testem. Ait etiam ex hoc vnico facto agnoscendum esse, nos duci spiritu mendacij. Sed Dei beneficio tam longe à calumnia absumus, quã D. Andreas à candore & veritate: non cupimus falsas opiniones illis apud auditores nostros affingere, neque etiam possumus: non enim ipsorum more causam hanc apud auditores nostros agimus, vt altera tantum pars audiatur, sed ipsorum libri apud nos venales liberè prostant, ac hortamur auditores vt eos legant, nostra quoque vicissim expendant, ac tũ iudicent. Tanta autem est vis veritatis, vt nobis nihil periculi sit ne quisquam nostrorum scriptis ipsorum seducatur, imo plerique cum legunt, mirantur homines doctos & theologos tam absurda scribere, tam parum sibi in scriptis suis constare, & modo affirmare quod olim negarunt, & rursus negare quod publicis scriptis olim affirmarunt: sunt qui indignentur noua dogmata ab illis tanto cum scandalo papistarum quotidie proferri: non pauci dolent vicem ecclesiæ, quæ huiusmo

An Brentiani doceant cœlum Vbiquarium.

Hæc legitima agendi Ratio.

di rixis & contentionibus miserè dilaceratur, ac mirantur tantam maledicendi petulantiam & rabiem quandam, non cohiberi publica auctoritate: variaque pro hominum ingenijs de huiusmodi scriptis sunt iudicia: neque nos nostris concionibus si maximè vellemus, tantum odij illis conciliare possemus, quantum ipsi sibi apud bonos & moderatos homines qui vtriusq; partis scripta legunt, conciliant. Intereà in suo theatro habent qui ipsis plaudant, eos scilicet, quibus non est liberum vtranque partem audire, aut si liceat, tamen ita conuicijs & calumnijs à nobis abalienati sunt, vt nolint nostras rationes audire & legere: hi Vbiquistica omnia probant, & iudices æquissimi, accusatoribus nostris tantum auditis nos damnant, causa nunquam cognita. Quod si non agnoscunt neque credunt cœlum Vbiquarium, cur id suis scripris publicè docuerunt? cur nunc ea non retractãt D. Augustini exemplo? Certe hæc sunt non nostra sed Brentij verba, De maiestate pag. 159. Ibi postquam cœlum corporeum negauit esse vbique, sed suum habere à terra discrimen & distantiã: addit, Si loquendum est de incorporeo & spirituali cœlo, non est cogitandum quod sit certus locus suis spatijs circumscriptus, supra omnes cœlos, in quo sancti localiter & corporaliter stẽt, aut sedeãt, aut deambulent, sed quod sit regnum cœleste, quod nec locis nec locorum interuallis sed maiestate Dei definitur, vt VBICVNQVE

Deus ma-

Deus maiestate sua regnat, ibi sit incorporeum " &
spirituale illud cœlum de quo nobis in præ- "
sentia sermo est. Et vt Zuingliani iterum habe- "
ant quod pro ipsorum ingenio exagitare pos- "
sint, cœlum illud ea est conditione, vt in eo non "
tantum sancti homines, verum etiam Satan & Ibidem pag. 155.
angeli eius inueniantur. Item superius. Reli- "
quum igitur est, quod Christus, isque totus vi- "
delicet, non diuinitate tantum verum etiam hu "
manitate sua, commoretur tam in cœlo quàm "
in terra, atque adeo vbicunque est Pater ipse, & "
domus, thronus, & dextera Patris. Et quia Chri "
stus ascendit in cœlum, & habitat in cœlo, vide "
tis ne omnes vere pij quàm late pateat cœlum "
illud in quo Christus commorari dicitur? Item Pag. 157.
de corporibus sanctorũ quærens vbi vitam de- "
gant, respondet, Erunt apud Christum. Vbi au- "
tem est Christus? apud Patrem. Vbi autem Pa- "
ter? Ibi est vbi nos erimus. Item de Mose & Elia Pag. 158.
qui in transfiguratione Christi apparuerunt in "
monte. Non, inquit, tunc primum descenderũt "
de cœlo, sed iam præsto adfuerunt & in cœlesti "
regno manserunt. Præsentiam autẽ suã hoc tem "
pore & hoc loco patefecerunt: vt dici possit eos "
de cœlo descendisse, hoc autẽ nihil aliud sit quã "
quod præsentiam suã reuelarint. Eadẽ fere repe Pag. 181.
tit in sua Recognitione, ac nos, inquit intellectũ "
verbo Dei captiuũ non tradere, quia nobis ab- "
surdum videtur cœlũ esse vbiq; item diabolos "
quoq; esse in cœlo. Itẽ, Falsum igitur est quod Pag. 222.

" Bulingerus dicit. Infernū nō esse penes nos in
" terris: sed vbicunque fuerint vel diaboli vel ho-
" mines damnati post hanc vitam, vel etiam ten-
" tati de æterna sui damnatione in hac vita, ibi in
" fernus sit necesse est. Item in Colloquio Mul-
brunnensi asseruerunt, cœlum electorum non esse locum quendam quo peruenire oporteat: ac cœlū non esse extra sed intra sanctos. Imo Deum ipsum esse cœlū electorū. Atque ne truncatas particulas ex Brētianis libris decerpamus, remittimus lectorem ad Brentiana scripta, in his videbit ipsum cœlum quod est sedes beatitatis nostræ, cum regno omnipotentiæ, item ipsa felicitate confundere, & illud in terra, in aquis, in aëre, in firmamento, in omnibus denique mundi partibus repletiuè collocare. Hæc cum nos repetimus & reprehendimus, D. Andreæ indignatur, & mendacij atq; calumniæ nos accusat quod ipsos dicamus docere cœlum Vbiquariū, quod sit spaciū aut locus tam late patens quàm cœlum, terra & inferi. Et tamen Brentius hoc vrget, cœlum esse vbiq;, negat quidem esse locum, & in hoc rursus D. Andreæ à Brentio dissentit, qui inquit cœlum esse locum. Sed si cœlum sedes beatorum vbique est: annón est Vbiquarium cœlum, etiamsi neget locum esse siue certum siue incertum? Scimus eos conditionem præsentis vitæ distinguere à conditione futuræ vitæ, & alium facere statum & conditionem beatorum, alium damnatorum, sed cū

quæstio

quæstio sit vbi nam beati sedem felicitatis suæ habeant, & vbi nam impij pœnas daturi sint, hi nempe in inferno, illi in cœlo: & cũ rursus quæratur quid sit cœlum, quid infernus, non quale sit, ipsi negant esse certum locum, aut certum vbi, sed vbique vbi Deus gratiam suam exerit, cœlum esse, vbi seueritatem ibi inferos esse, atq; ita in terris tam cœlum quàm inferos præsentissima esse, imo in domo Dei & in cœlo esse infernum. Quandiu igitur hæc asserunt, dicemus eos felicitatem quidem & damnationem distinguere, sed nihilominus cœlum, terras & inferos, vt ex ipsorum verbis manifestum est, confundere.

Sed quoniam D. Iacobus suam de cœlo sententiam exponit, eam quoque breuiter percurramus. Cœli nomẽ πολύσημον distinguit in tres significationes, quod primo aerẽ, deinde firmamentum in quo sunt stellæ, & postremò cœlestem conditionem & statum, das himmelisch wäsen/ significet, sicut Psalmo 115. Cœli cœlorũ domino; terram autem dedit filijs hominum. De duabus prioribus significationibus nulla est controuersia, sed de tertia, nam nos cœli nomen simpliciter non metaphoricè accipimus, cum oramus Pater noster qui es in cœlis, fiat voluntas tua in terra sicut in cœlo: item cum dicitur Filius hominis descendisse de cœlo, aut ascendisse in cœlum. In his enim & similibus locutionibus scripturæ de cœlo vt de certo & de- Cœlũ quid

finito loco, ſeu vbi, loquuntur, & cœlum terræ opponunt: temerarium autem eſt, ne quid grauius dicamus, hæc omnia in allegorias transformare. Neque tamen Deum cœlo includimus & circumſcribimus, ſed eius thronus in cœlo collocatur, quoniam ibi maxime apparet eius gloria, & quoniam ibi parata eſt noſtræ beatitatis manſio, cum Chriſto & beatis angelis. Attamen cum Deus dicitur habitare in cœlo, aut deſcendere, nō in cœli nomine ſed in deſcendendi & habitandi verbo tropum agnoſcimus, hæc enim infinitæ Dei maieſtati non magis proprie tribuuntur quam humani corporis membra, manus, pedes. Hanc autem noſtræ beatitatis ſedem, non in aere aut firmamento collocamus, ſed in ſuperioribus regionibus quas ἐπουρανίων nomine etiam ſcripturæ vocant, cum enim firmamentum ſiue cœlum illud aſtriferum vltima mundi pars ſit, Chriſtus autem in cœlos aſcendens mundum reliquerit, merito ſupra firmamentum & hos aſpectabiles cœlos, quærimus cœlum illud ac ſublimiſſimas & inenarrabiles regiones, in quas Chriſtus ſupra omnes cœlos aſcendens carnem ſuam circumſcriptam intulit, & inde cum gloria illa ſua venturum noſtris oculis intuebimur. Si quæras quale ſit cœlum hoc ſeu quæ ſit eius conditio, prophetę verba citata à Brentio proferimus, nec oculis videri, nec huius ſeculi auribus audiri, neque in hac vita mente noſtra compręhendi poſſe quæ dominus

Cœlum ubi ſit.

Quale ſit cœlum.

minus à seculo ijs à quibus diligitur præparauit. Sed cum scriptura summam istam gloriam & felicitatem electorum, non appellet cœli nomine, nos quoque nolumus cœlum cum cœlesti gloria confundere. Quoniam verò nolumus cœlum vbiquarium agnoscere, sed ex scripturis docemus & credimus cœlum beatorum, esse certam sedem & mansionem supra mundanos cœlos, aerem ac cœlum astriferum, ac simul doceamus corpora beatorum cum naturam & proprietatem veri corporis seruēt, locali & circumscripto modo in cœlis esse, ibi quid non audimus, sumus stupidi, crassi, carnales homines, fabricamus cœlum Mahumeticum & Talmudicum, choreas in cœlo fingimus, & quid non? atque hæc manifestissima ipsorum mendacia pro meris oraculis habentur: sed nos scilicet mentimur cum ea repetimus & quidem ijsdem verbis, quæ ipsi publicè asseruere? Ac quoniam forte ipsos pudet veteris doctrinæ, num ideo mendaces sunt, qui ipsos tam absurda docuisse aut credidisse asserunt? Atque equidem videtur D. Andreas aliquantum rursus recedere à Brentij opinione, nam exponens quid sit cœlum electorum, inquit illud esse æternam mansionem, in qua fideles habitaturi sint, quæ tamen adhuc sit creanda: atque hanc mansionem pag. 68. locū nominat, & alium inquit locum fore beatorum, alium damnatorum: cum tamen Brentius pertinaciter negarit cœlum esse locum. Vnum hic

Andreas dissentit Brentio.

Not. B.

à D. Andrea quærimus, ſi locus beatorum creabitur & nondum eſt, vbi nunc ſit corpus Chriſti? vbi ſint corpora eorum qui cum Chriſto ſurrexerunt? vbi ſint animæ beatæ, quæ etſi non localiter tamen definitiuè in certo aliquo loco ſunt? num dormiunt ad extremum vſque diem, vt quidam ſomniant? an ſunt in hoc mundo, & ita comprobabimus figmenta Papiſtica de animarum apparitionibus? an verò magis pie nos credimus & ſcripturarum auctoritate atque veteris eccleſiæ conſenſu noſtram ſententiam probamus, manſionem beatorum extra hunc mundum paratam & creatam eſſe, quę iam ſit domicilium in quo cum Chriſto & qui à mortuis reſurrexerunt, & beati angeli, & beatorũ animæ, iam nunc degant, & poſt reſurrectionem aſſumptis corporibus omnes electi in perpetuum habitaturi ſunt? Ne tamen prorſus à Brentianis veſtigijs recedat, Primum inquit, manſionem hanc eſſe cœlum nouum & terram nouam: ne res in ſcripturis diſtinctas cœlum & terram diſtinguere cogatur. Deinde bona illa quæ in nouo cœlo & noua terra fideles habituri ſunt, inquit verum cœlum eſſe. Veretur credo ne pro Zuingliano habeatur, ſi cœlum à cœleſti felicitate, non dico ſeparet, id enim non facimus, ſed tantum diſtinguat. Diſcrimen terrenæ & cœleſtis vitæ hoc ait eſſe, quod in cœleſti vita Deus erit omnia in omnibus: in terra extra hominé, hoc eſt extra eius ſubſtantiã, ſunt ea quibus fruimur,

mur, sed in cœlesti vita omnia in quibus beatitas nostra posita est, intra in nobis habebimus, Deus enim qui in se omnia est, ita se singulis patefaciet, vt qui Deum inhabitantem in se habet, in eo omnia habeat, quare non opus est vt de loco in locum moueatur. Atque hoc argumento vult ostendere corpora beatorum non moueri in cœlo; & haud dubie huc etiam respicit quod Brentius hinc concludit, si Deus sit omnia in omnibus, eum cœlum nostrum & locum esse. Ac Deum esse omnia in omnibus, cum Pauli dictū sit, nemo inficiari poterit, nempe Deum esse nostram felicitatē, qui in futura vita absque vllo medio omnē beatitatē nobis conferat, vt à nulla re creata quicquam cōmodi quærendum sit, non etiam erimus distracti vt caro concupiscat aduersus spiritum & spiritus aduersus carnem, sed omnia in electis suis erit Deus, qui vniuersis desiderijs nostris largissime satisfaciet: attamen nihilominus naturæ & substantię rerū cum suis proprietatibus saluæ manebunt, neque in Deū conuertentur. Non ergo licet inferre, Deus erit omnia, ergo erit locus & erit cœlum: ita enim similiter dicere possemus, erit corpus nostrū aut anima nostra. Ac si hoc modo argumentari velimus, sequeretur Deum esse omniū rerum naturam & substantiā, seu omnem substantiā rerū in Deum conuerti, quam absurdissimā opinionē non arbitramur aduersarijs probari. Si igitur hæc manifestatio & præsentia Dei omnia bo-

na elargientis, & plena potestas cui nemo reluctatur, non tollit rerum naturas aut proprietates, & relinquit verum corpus, & verú cœlum, ita corpori quoque locum seu circumscriptionem non adimit. Nec sequitur, non opus habét beati motu aliquo ad beatitudiné aliunde quærendam, igitur non mouentur, nam vt D. Augustinus scribit de Ciuitate Dei li. 22. cap. 30, Membra nostra quę nunc per vsus necessitatis varios & motus distributa sunt, tunc proficient laudibus Dei: & harmonię corporalis numeri intrinsecus & extrinsecus per cuncta corporis dispositi, rationales mentes in tanti artificis laudem rationabilis pulchritudinis delectatione succendent: motus autem & status quicunque erit, sicut ipsa species decens erit. Quod si verba vniuersalia vrgere velimus, Deus erit omnia in omnibus, ergo erit cœlum & locus, & propterea cóficere, nó esse alias sedes beatorú quę certus sint loc⁹, similiter inferat alius, si omnia est in omnibus, eum in damnatis fore eorum infernum: Ac Deus quidem etiá absoluta potentia omnia gubernans pœnas sumit de impijs & satana, sed non propterea erit eorum infernus. Neque firmius ex hoc loco conficitur, beatos non fore in cœlo corporibus suis localiter, aut cœlum non esse locum, quam ex eodem olim quidam conficere voluerunt, impios aliquando saluandos fore, quando Deus erit omnia in omnibus.

De dextera Dei, an certus locus nominari poßit.

CHristum ſedere ad dexteram Dei omnes in ſymbolo fidei profitemur. Dexteram etiam Dei ſignificare Dei potentiam & maieſtatem non eſt controuerſum inter nos. Neque hoc controuertitur Chriſtum ita ſedere ad dexteram patris, quod eandẽ virtutem & potentiam, honorẽ, maieſtatẽ, & gloriam cũ patre habeat. De eo autẽ controuerſia eſt, quomodo humana Chriſti natura ſedeat ad dextram Dei: hic dicimus humanitatẽ eius ſublatã eſſe ſuper omnes cœlos, ac præ omnibus creaturis excellentia, dignitate & honore auctam eſſe, & apud Deum omnipotentẽ ſupremã dignitatẽ & gradum eſſe aſſequutam, attamen ita ſedere ad dexteram Dei in cœlis, hoc eſt tanta dignitate ſic ornatam eſſe, vt in cœlis, manente humani corporis proprietate, ſuprema felicitate & beatitudine fruatur, ac ibi manens nihominus vnà cum verbo conſcia mente & conſimili voluntate omnia regat. Atque hoc modo dicimus dextram Dei poſſe certum locũ ſignificare. Eſt enim hoc vocabulũ anceps, & D. Auguſtinus ſcribit, dexteram patris eſſe beatitudinem perpetuam quę datur fidelibus. Item. Quid eſt aũt Patris dextra, niſi æterna illa ineffabiliſque felicitas, quo peruenit Filius hominis, etiã carnis immortalitate percepta? Contra Serm. Arianorum. Cum

Dextera Dei quid ſignificet.

Not. B.

De Agone Chriſti & ad Conſentium.

autem beatitatis noſtræ ſedes ac domicilium non ſit vbique, & in hoc mundo non reperiatur, Chriſtus verò ſecundum humanitatē ſuam vna cum ſanctis angelis & beatis ſpiritibus in ea regione viuentiū degat, dicimus iuxta hāc ſignificationē dexterā Dei non tantū Dei potentiam & maieſtatem, ſed certum quoque locū ſignificare: etſi enim Dextra ipſa prima ſignificatione & abſolutè non eſt locus neque propriè locum ſignificat, tamē complexū hoc ſedere ad dexterā Dei, in cœlis, cum de humanitate Chriſti dicitur, non tantum excellentiā ad quam euecta eſt ſignificat, ſed ob coniunctionē huius articuli cū præcedente articulo, Aſcendit in cœlos, & additam ſæpe in ſcripturis loci notationem (voco autem locū certū Vbi) ac prætereà ob veritatem humani corporis in Chriſto, certi loci ſignificationē habet, quod Chriſtus ſecundū humanitatem ſuam ſurſum in cœlis ad dextrā patris ſedens noſtrum caput, noſter mediator & interceſſor eſt. Hinc D. Auguſtinus Chriſti abſentiam corporalē probat, ex ſeſſione ad dexterā Dei, in epiſtola ad Dardanum.

Sedere ad dexteram Dei in cœlis.

Xiij

Quemodo B. Stephanus uiderit Jeſum ad dexteram Dei.

Chriſtum autem in cœlis, hoc eſt in domicilio & ſede beatorum certa, & à terris diſtincta atque ſeparata ad dexterā Patris ſedere probauimus ex hiſtoria beati Stephani, *qui* intentis in cœlum oculis vidit gloriā Dei, & Ieſum adſtantem ad dexterā Dei: & ait, Ecce conſpicio cœlos apertos & Filium hominis adſtantē ad dexterā Dei.

Dei. Respódet ridiculũ hoc esse argumentũ, & has esse carnales nostras cogitationes: sunt enim illi carnalia & ridicula, quæ simplicissimé iuxta sacras literas affirmantur, si repugnent fictę Vbiquitati. Si, inquit, stellę omnes in firmaméto quę tam magnę sunt, non possunt videri, quomodó corpus Christi quod humani corporis mensuram nó excedit, & supra omnes cœlos ascendit, potuisset à Stephano videri? Verum num diuina vi fieri non potuit, vt ita beati martyris oculi roborarentur, vt cũ possent anteà vsq; ad firmamentũ acie sua naturaliter pertingere, ac in eo sydera cernere, tunc in summo discrimine, cũ pro nomine Iesu erat moriẽdũ, vltra firmamentum vsque ad regiones beatorũ extenderentur, ac ibi super omnes angelos, principatus & dominationes, atque adeo super omné creaturam viderent Iesum Christũ in gloria Dei stanté ad dextram patris, vt se fortiter adiuuaret & consolaretur? Num etiã cœlis illi apertis non fieri potuit vt corpus Christi, cuius claritas omnia sydera superat, ab ipso cerneretur? Neque necesse fuit vt eadé viderent Pontifices, quando & Pauli comites vna cum ipso prostrati, vocé quã Paulus vere audiuit non audiuerunt. Atq; sicut non agnitus fuit Christus à duobus discipulis suis, quibus cum in eadem mensa familiariter sedebat, non propter metamorphosim aliquam, sed quia tenebantur eorum oculi: ita dati sunt oculi Stephano qui illuc vsq; penetrarent, qui Pon-

tificibus non sunt dati. Nec frustra à Luca dicitur, oculos intendisse in cœlum vt gloriã Dei videret, nec frustra Stephanus ipse testatur, cœlos sibi esse apertos, vt Iesum conspiceret stantẽ in dextera Dei. Quod si fuit visio, qua in Spiritu vidit Christum à dextris Patris stantẽ in cœlis, vt D. Andreas vult, manet nihilominus nostrum argumentum, Sessionẽ Christi à dextris, non esse vbique, sed in cœlis, cœlo inquã beatorum, quod non est vbique sed supra nos, & supra omnes aspectabiles cœlos. Nam haud dubie visio illa vera fuit, neque hic fuit vlla dispensatio: quũ enim plenus esset Spiritu sancto, Christus se illi verè reuelauit, neque agebatur de re aliqua futura, quæ plerunque figuris quasi inuolucris quibusdam teguntur, sed præsentẽ suã gloriam & maiestatẽ Christus illi conspiciendã exhibet, & in spiritu ostendit se videndũ, non incircumscriptũ & vbiq; existentẽ, sed qui sursum in cœlis sit. Ac nostrum argumentũ tam non infirmat D. Andreas, vt id potius confirmet hac sua interpretatione: si enim corporeũ spectaculum fuisse diceret, poterat suo more dicere per dispensationẽ factum esse, quæ hic non habet locum. Rectè igitur colligimus, Stephanus vidit Christum in cœlo stantẽ à dextera Patris: ergo sessio ad dexterã non constituit corpus Christi vbique præsens, sed sessio hæc est in cœlo: quod cœlũ loc⁹ est supra nos & aspectabiles cœlos, vt docuimus, non autẽ nescio quid Vbiquariũ. Ac

reuera

reuera tota nō tantū huius argumenti, sed totius quæstionis de dextera cōtrouersia, ab eo dependet, an cœlum sit locus. Etsi autē D. Andreas cœlum locū vocat, tamen cœlum etiam cœlestē cōditionem significare ait, & hoc modo nostra argumenta eludere conatur. Cū enim obijcimus Christum sedere ad dexteram Dei in COELIS, SVRSVM & in ALTO: Respondet cœlum hic significare cœlestem conditionem futuræ vitæ, quod Christus omni infirmitate deposita, cōstitutus sit in vsu diuinæ maiestatis: ac hanc ipsam maiestatē esse excelsum seu altitudinem ad quā Christus euectus sit: item altū idem esse atq; omnia implere. Ac de maiestate Christi, quā Christo secundū humanitatem ab incarnatione tribuunt, actu tamen post ascensionem declarasse volunt, suo loco dicemus: nunc quam infirma sit hæc responsio & quam sibi non constet, indicabimus. Primum si sedere ad dexteram Dei est intrare cœlestem vitam & conditionem & deponere humanam infirmitatem, quomodo tribuunt Christo quod ab ipsa conceptione collocatus sit ad dexteram Patris in cœlis? etsi enim distinguunt inter habitualem & actualem sessionem, si tamē corpus Christi habitualiter fuit infirmitatis expers, tum non verè pro nobis passus & mortuus est, sed eius passio tantum fuit phantasma Martioniticum. Deinde ipse Andreas mansionem beatorum nondum creatam nominat das himmelisch wäsen/ quomodo ve-

D. Andreas pugnantia scribit.

ro dicit Christum hanc intrasse quando conse-
dit ad dexteram, cum nondum creata sit? Cum
autem duas partes faciat cœlestis conditionis,
primum mansionem fidelium, quæ est locus di-
stinctus à damnatorum loco, pag. 86. deinde o-
mnia quæ fideles in hac mãsione habituri sint:
etsi dicat bona hæc possidere humanitatẽ Chri-
sti, etiam nondum creata mansione: tamen ne-
cesse est vt locum ostendat humanitatis Christi,
fatetur enim Christum glorioso corpore in lo-
co esse, certe is nõ alius erit à cœlesti mansione,
quam tamen ille nondum creatam contendit.
Tertio si ascensione in cœlos collocatus est Chri-
stus ad dextram patris, ita tamen vt nulla loci
ratio hic habenda sit, sed tantũ maiestatis: quo-
modo venturus est inde ad iudicandum? num
maiestatem quam ascensione declarauit rursus
deponet? quod fieri nequit, cum hunc secun-
dum aduentum maxime gloriosum fore scri-
pturæ ostendant: si ascendendo in cœlos ad de-
xtram Patris omnia impleuit, num veniendo
rursus ad iudicandum omnia euacuabit? ascen-
sio enim in cœlum, & aduentus è cœlo ad iudi-
cium, inter se opponuntur in sacris literis. Qua
re si simplicitatem scripturarũ sequi volumus,
neq; omnia in allegorias transformare, opor-
tet vt ita interpretemur sessionem Christi ad de
xtram Patris in cœlis, quod Christus cum Patre
regnans humanitate sua in cœlos euecta ibi no-
bis quærendus sit in eo loco sedem regni sui ha-
bens

Acute.

bens vnde ad iudicandum venturus est: atque hac ratione dexteram Dei quæ alioqui est infinita Dei potentia, locum quoq; significare dicimus, locum inquam qui sedes & domicilium est corporis Christi. At vero manifesta est deprauatio articulorum fidei nostræ, quod aduersarij concludunt Christi corpus ideo esse vbiq;, quia secundũ humanitatem sedet ad dextrã patris in cœlis. Quamuis enim verum sit dexterã Dei, Dei inquam essentiam & potentiam, esse vbique, quam tamen inepte & friuole inde colligãt, humanitatem quæ sedet ad dexteram Dei esse vbique, alioqui tantum ad partem dexteræ sessuram, alibi ostendimus.

Patrum testimonia suo more eludit, ac negat eos nostra somnia probare: sed nos Dei gratia non nostra somnia sed verbum Dei prædicamus è quo nostram doctrinam desumpsimus, neque scripturarum verba, neque patrum sententias in alienũ sensum detorquemus, neq; aliter sentimus quã loquimur, sed vt verba ita sensũ scripturæ & veteris eclesię libẽter retinemus, ac iudiciũ lectori Christiano relinquimus. Est autẽ hęc mere sophistica cauillatio, patres quos verbis nobiscum consentire negare non potest, nihilominus affirmare cum eadem doceant nõ tamen probare nostram sententiam. Equidem si absque offensione posset, libenter omnes veteres damnaret, quos scit longe aliter docuisse & scripsisse de ascensione Christi & sessione

Patrum testimonia eludit.

ad dextram quam Vbiquistæ doceant, sed quia id facere non audet, fingit eos secum consentire, neq; tamen vllum huius consensus testimonium profert, neq; etiam proferre potest.

Quod autem concludit Dextram Dei esse infinitã Dei potentiam quæ cœlũ & terrã implet, & ad hanc collocatũ esse filium Dei, qui declararit potentiã suã miraculis per apostolos in suo nomine editis quæ Christus præsens operatus sit: hæc inquam non negamus, sed quæritur, vt sæpe diximus, an humanitas sessione ad dextrã patris vbique substantialiter præsens facta sit, an vero Christus Deus & homo ita humanitate sua in cœlis ad dextrã patris collocatus sit, vt humanitas suam naturam & proprietatem seruans maneat circumscripta & finita, & non sit vbique sed in loco, in cœlo inquam beatorũ: hoc enim scripturę docent, & ecclesia perpetuo & constanti consensu semper credidit. Hoc constituto bifariam tribuitur humanitati sessio ad dexteram Dei patris, vt Scholastici docuerunt, primo secundum vnionem personalem, quia humana natura non in se sed quia vna persona cum Verbo facta est, habet gloriam Deitatis & æqualitatem cum patre. Secundo quia humana natura iudiciariam potestatem accepit & beatitudinem maiorẽ supra cæteras creaturas, dicitur etiam hac ratione sedere ad dextram Dei in cælis: & dexteræ nomen beatitudinem & sedem beatitatis nostræ significat. Vtrunque hũc modum

modum ſeſsionis Scholaſtici, vt dixi tradũt, qui nequaquam inter ſe pugnant, ſed Vbiquiſtę poſteriorem negant: priorem mirabiliter transformant, vt in expoſitione doctrinæ ipſorum de perſonali vnione plenius perſpicietur.

Quod autem ait Phariſæos vidiſſe Chriſtum ſedentem ad dexterã patris, quamuis non in cœlis, quando viderunt miracula nomine Chriſti facta, ex quibus viderunt potentiam Chriſti & ſenſerunt ipſum ad dexteram Dei ſedere, quã recte et etiã ſuis dogmatibus cõſentaneè affirmet, ipſe viderit: cũ enim ſeſsio ipſi ſit diuina maieſtas Chriſti ſupra omnes cœlos exaltati, & non tantũ vi & efficacia, ſed reipſa vbiq; ſecundum humanitatem præſentis, videat ipſe an Phariſæis tribuere poſsit huius rei credulitatem. Quod ſi incredulis tribuit quod videant Chriſtũ ſedentem ad dexteram, qui tamen Chriſtum non videbant neque corporis neq; animi oculis, ſed tantum virtutem eius ſentiebant, cur nullam agnoſcit veram Chriſti præſentiam, quando pij fide & ſpiritu Chriſtum viuificatorem præſentem cernunt, niſi etiam ſubſtantia corporis ſui præſentem credant?

De omnipotentia Dei.

Quæſtio de omnipotentia.

CVm ab initio controuerſiæ huius ſacramẽtariæ noſtri docuiſſent, corpus humanũ in multis locis, vel vbique, vel citra locum exiſtere non poſſe, quod id naturæ ac definitioni

corporis prorsus aduersetur: Deum autem etsi omnipotens est, non tamen posse, hoc est nolle, ea facere quæ rei naturæ & definitioni repugnant, alioqui eodem temporis puncto aliquid vellet & non vellet, & aliquid probaret & non probaret: quod esset inconstantiæ non potentiæ: & hinc conclusissent Christi corpus, quod verum corpus humanum est ac suas proprietates seruat, non esse vbiq; vel in multis locis præsens neque absque loco existere vt aduersarij affirmabant. Cum inquam hæc nostri assererent, mox cœperũt aduersarij nostros accusare, quod omnipotentiã Dei labefactent, neque credant Deum omnipotentem esse: & tamen ipsi negare non poterant quædam esse, quæ suo vitio & defectu fieri non posint, incolumi & salua nihilominus diuina potentia: præsertim cum hoc sacræ scripturæ affirment, quæ dicunt imposibile esse mentiri Deum, item Deum seipsum negare non posse: & idem patres & Scholastici quoq; doctores fatentur. Quare cum vtriq; assertam cupiant Dei omnipotentiam, fateantur autem aliquid ab ea eximendum, non quidem eius defectu, sed rerum ipsarum quæ fieri non posint, in eo fuit status certaminis, nũ id quod aduersarij affirmant, corpus humanũ in multis locis, vel vbique, vel citra locum existere posse, definitioni & naturæ rei repugnet & ex eorum numero sit quæ fieri non possunt. Sed inter aduersarios, Brentius in suis scriptis argumentum

Adeo vt Chrys. dicat, Deũ esse nõ posse, si nõ sit iustus.

hoc

hoc de potentia Dei ita tractat, vt acerbissime nostros proscindat, quasi eam prorsus tollant, idque crebro ad fastidium vsque repetit. Hoc enim eius institutum fuit, nostros cumprimis reddere quantum posset omnibus odiosos, ideo passim iactat nos omnipotentiam Dei labefactare, nec Deum credere omnipotentem: quod certe nunquam contigisset, si potius veritatis enucleandæ quàm nos traducendi ac reddendi odiosos rationem habuisset. Qoniam verò etiam in suo testamento argumentum de potentia Dei repetit, coacti sumus ad illud respondere, & primũ veterem calumniam depellere, qua aiunt nos negare Dei omnipotentiam, neq; hic extra oleas quod diciturvagamur, multo minus tergiuersatione aliqua vtimur, sed vanissimis calumnijs Brentij respondimus, qui toties publice asseruit nos Dei omnipotentiã negare, quod tamen vel ipse Andreas falsum esse quodammodo fatetur, ac certamen esse vult non absolute de omnipotentia Dei, sed de Christi omnipotentia. Cum enim in Christo duæ naturæ diuina & humana personaliter vnitæ sint, ac diuina quoad suam naturam & essentiam omnipotẽs existat, hoc in quæstione positũ ait; Quid diuina omnipotens natura humanæ naturæ de sua omnipotentia cõmunicarit. Etsi autem cõmunionis nomen nõ videtur proprie hic accipi ꝓ participatione, vbi enim sunt duo extrema cum aliquod tertiũ ab vtroq; seiunctũ cõmune

habent: omnipotentia autem non eſt proprie-tas diſtincta ab eſſentia Verbi, ſed prorſus idē: tamen nos de verbo illis litem nō mouebimus: & communionem pro participatione accipiemus, & illi vt poſtulat apertè & rotunde reſpondebimus.

An humanitas Christi cum omni potentia Verbi aliquā cōmunionem habeat.

Ac quoniam D. Andreas ſimulat nos tergiuerſari & nolle ad propoſitam quæſtionem reſpondere, lectorem admonitum cupimus, illi ſæpe diſerte & rotunde à noſtris reſponſum eſſe. Primum initio, cum definirent vnionem perſonalem communicatione reali & transfuſione proprietatum diuinæ naturæ in humanam, & contenderent Chriſtum non differrre à ſanctis hominibus, niſi illi ſecundū humanam naturā cōmunicatas dicamus omnes diuinitatis proprietates. Tum enim clarè demonſtratum eſt, non aliam poſſe & debere ſtatui cōmunicationem proprietatū quàm qualis eſt naturæ communicatio. Nuper etiam, cū de omnipotentiæ communione ambiguā hanc quæſtionem, nō diſertam & rotundam, propoſuiſſet, An humanitas Chriſti nullam cum diuina omnipotentia communionem reipſa habeat, Theologi Heidelbergenſes perſpicuè & rotunde illi reſponderunt, & à noſtris quoque in hanc ſententiam illi reſponſum eſt. Quæſtio hæc eſt ambigua, nam per communionem intelligi poteſt communio perſonalis, quod ſcilicet humana natura ab ea perſona aſſumpta eſt & in illa ſuſtentatur, quæ Deus

Deus est & omnipotens: atq; hęc cõmunio dici forte potest etiam realis, quoniam vnio naturarum vera est & ineffabilis, & ea quæ naturarum sunt propria, reipsa sunt huic personæ communia: sed quæ diuina sunt, in natura Dei Verbi, & quæ humana, in ipsa humanitate. Atque ita dicimus humanam naturam communionem habere omnipotentiæ, sicut & Deitatis: sicut enim humana natura non in se est Deus vel diuinitas, sed homo est Deus: sic etiam in se non est omnipotens, sed pars personæ omnipotentis. Liceat enim quæso nobis ex

Not. B. Humana natura est pars p[er]sonæ n. s. post incarnationis mysterium.

emplo veterum naturas in Christo partes personæ illius nominare. Rursus quæ de reali communicatione omnipotentiæ proposita sunt ab aduersarijs, intelligi possunt de reali transfusione, quasi diuina natura suam omnipotentiam transfuderit in humanã, sic vt Christus homo, quatenus homo, seu secundum humanam naturam, sit omnipotens dono quodam & communicatione factus: hanc communionem nos negamus. Quoniam realis illa transfusio proprietatũ prorsus Eutychiana est, & veritatẽ humanæ naturæ in Christo abolet. Habet igitur D. Andreas responsionem non ambiguam sed claram & rotundam, nempe humanitati non esse communicatam omnipotentiam à Deitate vt ipsa humanitas sit omnipotens, sed per vnionẽ personalem humanitatẽ ita participasse omnipotentiam vt homo ille sit omnipotens: Nam

cum eadem ratio ſit Deitatis & omnipotentiæ, ac Deus ipſe ſit ipſa omnipotentia, humanitati autem nõ cõmunicatur deitas, vt humanitas ſit deitas, ſed homo eſt Deus vnione illa ineffabili qua humanitas diuinitati in vnã perſonã iuncta ab ea ſuſtentatur, vt vna ſit hypoſtaſis Deus & homo: ſic etiam omnipotentia non cõmunicatur humanitati transfuſione quadã vt humana natura fiat omnipotens: ſed homo eſt omnipotens vnione illa ineffabili humanitatis cum omnipotente natura. Sic etiam corpus humanũ immortalitatem habet ſicut & animã immortalem, non per transfuſioné, ſed per vnionem perſonalem. Neq; ſequitur id quod Andreas infert, negari Chriſtũ hominem omnipotenté eſſe, & illi nihil niſi titulũ & nudum nomen relĩnqui: eſtque manifeſta calumnia quod ait nos affirmare humanam naturam nullam habere cõmunioné cum omnipotentia diuinæ naturæ. Cũ enim cõmunionis nomé anceps ſit & duob⁹ modis accipiatur (quod diligẽter obſeruandũ eſt lectori, nã hac ambiguitate explicata corruũt illa omnia quæ proximis Capitibus tractat) & nos alterum negemus, alterũ affirmemus, & veram cõmunionem melius & clarius quã ipſi explicemus, nihilominus tamé audet affirmare, nos omnem cõmunionem omnipotentiæ denegare humanæ naturæ. Hæc autem cõmunicatio quæ fit vnione humanitatis cũ omnipotente natura, non transfuſione proprietatũ qua naturæ exequentur

Cõmunio duplex.

pag. 104.

quentur si non essentia saltem potentia, non est inane nomen, nisi quis vnionem naturarū dicat nomine tantum & non reipsa factam esse, quod impium & Nestorianum est. Sicut autē homo ille Deus est, non humanitatis natura sed deitatis, neque nomine tantum sed verè & essentialiter Deus est, quoniam Deitas non in eo vt in sanctis hominibus inhabitat, sed personæ illius pars est: ita idem homo non titulotenus sed reipsa omnipotens est, quoniam Deitas omnipotens non minus personæ ipsius pars est, quam anima & corpus eius. Atquę hac ratione homo Christus plurimū à sanctis hominibus differt, non tantum amplitudine & excellentia donorum, ac officij ratione, sed sua hypostasi, quę nō tantum humana natura constat vt in cęteris hominibus, in quibus Deitas vt in templo suo inhabitat, vbi alius est qui inhabitat, & alius qui inhabitatur, sed hæc persona hominis Christi diuinitate & humanitate constat, diuinitate ita in hac humanitatę inhabitante vt imperscrutabili & ineffabili coniunctione siue vnione ipsa sit hypostasis singularis huius personæ Christi. Ac quoniam abunde aliâs à nostris declaratum est, consecutionem hanc qua aduersarius vtitur falsam esse, si humanitas Christi non est omnipotens, ergo homo Christus non est omnipotens: non arbitramur copiosiorem confutationem huius Sophistices à nobis requiri.

Calumniæ D. Andreæ

Obſecramus autem hoc loco pios Lectores, vt hic denuò paulisper expendant, qua fide D. Andreas cauſam hanc aduerſus nos agat. Primum negat certamen eſſe de omnipotentia Dei, ſed de omnipotentia Chriſti: & tamen ſcit nos à Brentio accuſatos, quod non credamus Deum eſſe omnipotentem: ac Brentij liber de Maieſtate hanc calumniam ad faſtidium vſque repetit. Deinde ait hanc eſſe quæſtionem huius loci. Quid omnipotens & diuina natura humanæ naturæ de ſua omnipotentia communicarit. Sed non ignorat primum certamen fuiſſe de Vbiquitate carnis Chriſti, quam partim argumento à potentia Dei, partim ab vnione perſonali deſumpto aſſeruerunt. Inde realis communicatio & transfuſio omnium proprietatum deitatis in humanã Chriſti naturã ab ipſis excogitata eſt: poſtremò vero nuper admodum D. Andreæ hanc latebrã inuenit qua ſui dogmatis abſurditatem tegeret, quod humana natura cum diuinitatis cui coniuncta eſt proprietatibus reipſa aliquam communionem habeat: Hac autem ambigua locutione ſe haud dubie ſimplicibus imponere & oculos illis perſtringere ſe poſſe exiſtimat. Poſteà fingit nos tergiuerſari & nolle ad hanc quæſtionem reſpondere, ideoque ea afferre de quibus non eſt controuerſia, quæ ſcilicet à Deo fieri nõ poſsint, vt Deum non poſſe peccare aut mentiri, & vrget vt perſpicuè & rotũde reſpondeamus. Sed ſi neſcit ſibi ad

bi ad

bi ad hanc quæstionem à nostris responsum esse, non est forte mirũ, quî enim cognoscere posset quid nostri scribant, cum vetitum sit ne quis nostros libros emat, vendat, legat? etsi mirum autem non est, nam ita nunc fieri solet, est tamē res indigna & non ferenda, hominem Theologum, & qui sibi iudicium & censuram in omnes sumat, tam facile & temere pronunciare de re sibi incognita. Nam si dicat forte, se tantũ de nostra responsione ad Brentij Testamentum loqui, nihilominus tenetur, quoniam illic à nobis respondetur ad notas & publicas criminationes & calumnias Brentij, neq; tum illud latibulum mit der that gmeinschafft haben D. Andreæ effoderat, sed illud in legatione sua Memmingensi inuenit. Proponit deinde nostrā responsionē, quę si illi tam bene nota erat, cur tam vrget vt aperte & rotũde respōdeamus? Sed mauult ipse pro nobis respōdere, vt sentētiā nostrā quam ipse fingit, nullis rationibus confirmatā proponat, è qua suo arbitratu ea cōficiat, quibus nos in odium adducere possit. Itaq; statim subijcit, nos homini seu humanæ naturæ nihil nisi titulum & nomē relinquere, quod Marię seu hominis filius nominetur quidē omnipotens, sed eum secundũ humanam naturam tantũ nudum nomen omnipotentiæ habere, vere autē & re ipsa prorsus nihil. Hoc aũt nunquā scripsimus, nunquā docuimus, nunquam credidimus, neq; quicquā tale legitima cōsecutione ex nostra do

Quae Chri. humana nā
cū diuina com. habeat.

ctrina cōficitur: nisi forte Iacobo Andreæ nihil est mirabilis illa & omnis creaturæ captū supe rās vnio diuinæ naturę cū humana: nihil illi est officium Christi seruatoris: nihil illi est cōmunicatio duarū naturarū in omnibus operibus, vbi vnaquæq; cū cōmunicatione alterius agit quod suum est: nihil etiam illi sunt amplissima illa dona quibus humana natura ita in se ornata est vt omnes creaturas longo interuallo excellat. Atque cum semper docuerimus, & doceamus, atque firmiter credamus, Christum hominem siue Mariæ aut hominis filium, esse Deum verū & omnipotentem, quoniam non alius sed vnus & idem est Filius Dei & filius hominis, nihilo minus tamen impudenter gloriatur, & se confidenter iactat quasi conuicerit nos Christum filium hominis sua diuinitate spoliare: & homo leuis se vltro ad palinodiam offert si conuictus fuerit: atque cum toties soli Heidelbergēses (vt alios omittamus) vicini illius, & publico colloquio, & præterea tot scriptis in lucem editis ostenderint non tantum errores ipsius, sed etiam contradictiones manifestas, hoc est, aperta & luculenta mendacia, nunquam tamen erubuit, sed pro Sophistica sua lubricitate & loquacitate verba torquendo & aliter interpretando, aut impudenter ea quæ dixit & scripsit negando, se sperat posse elabi: idque facilius apud eos quibus nostras responsiones videre & audire non licet: nam si apud æquos iudices

ces controuersia disceptaretur, & nostræ responsiones non minus quam eius criminationes legerentur, facile inanis eius iactantia compesci possit.

Postremò asserit nos duos Christos facere, vnum filium Dei omnipotentem, alterum filium hominis, qui cum hac omnipotentia nullam reipsa communionem habeat. Atque hanc calumniam posteà pagina tertia repetit, nos duos facere Christos, vnum Deum, qui humanæ naturæ insolubili vinculo coniunctus sit, attamen quoad naturam suam & proprietatẽ, nullam cum ea communionem habeat: alterum hominem tantum, ornatum quidem maiori potestate gloria & honore quam cæteri sancti, sed qui nullam communionem habeat cum infinita maiestate, potentia & virtute Dei: verum vbi majestas hæc homini tribuitur id non vere fieri sed tantum verbotenus, reipsa autem nihil nisi verba esse. Atque hoc est argumentum quo nos D. Andreas Nestorianos & Machumetanos facere conatur, quod ex duobus mendacijs siue calumnijs consutum est. Primum, quod ea quæ à nobis scribuntur de humana natura Christi, ipse interpretatur à nobis dici de homine Christo. Cum nō ignoret longe aliud esse cũ dicitur aliquid de humanitate in abstracto, aliud cũ de homine in concreto aliquid prędicatur. Deinde, ait nos omnẽ cōmunionẽ ꝓprietatũ diuinę naturę cũ humana tollere, quod

Non facimus duos Christos.

Not. 8.

1.

2.

falsum esse paulo ante ostendimus. Rogamus igitur pios lectores vt vniuersam hanc ipsius sophisticen bene expendant, & obseruent quibus ambiguitatibus vtatur, & quomodo controuersiam hanc studiò inuoluat. Cum autē huiusmodi certaminum præcipuè in rebus sacris, finis esse debeat declaratio veritatis, non potest ille vir bonus haberi, qui ambiguis locutionibus & verborum æquiuocatione rem obscurare studet. Ac possemus plures eius fallacias & latebras commemorare, sed cum easdem Heidelbergenses Theologi, quos ob ipsorum insignem pietatem & eruditionem honoris causa nominamus, detexerint, & omnibus nisi qui in meridiana luce cæcutire voluerint, digito quasi demonstrarint, nolumus eadem repetere.

D. Andreæ Nestorian.

Bene autem se habet, quod hoc argumento quo alios Nestorianismi couincere vult, seipsū Nestoriano errori fauere prodit. Nos enim nō facimus alium Filium Dei & alium Mariæ filium, sed vnum & eundem agnoscimus Dei & Mariæ filium, æternum & omnipotentem atque infinitum secundum diuinam naturam, & eundem in tempore initium habentem, finitæ naturæ atque potentiæ secundum humanitatem.

In Apologia ad thes. Ingolstad.

Vos autem qui Filium Dei à Filio hominis assumptum scribitis, & alterum essentiali, hunc vero communicata Deitate Deum esse dicitis, propter immensitatem & infinitatem donorum Deo factum æqualem; duos facitis filios

lios, & apertè Nestoriani estis. Atque cum hic tuam confessionem proponis, Christum iuxta diuinam naturam esse ipsam omnipotentiam, iuxta humanam naturam habere omnipotentiam: Si de communicata omnipotentia loqueris & quæ alia sit ab omni potentia diuinæ naturæ, necesse est aliam quoq; eius diuinitatem esse, nam eadem est ratio diuinitatis & omnipotentiæ: Sin loqueris de omnipotentia diuinæ naturæ, dicimus illam eodem modo haberi ab humanitate Christi, quo deitatem habet, quod scilicet humanitas sustentatur à diuinitate & pars est personæ omnipotentis, itaque habet omnipotentiam, non in sua natura sed in sua persona, atque in natura Verbi, in cuius hypostasi omnipotente subsistit. Quod si fingis humanitatem in sua natura habere omnipotentiam Verbi, prorsus diuinitatem cum humanitate confundis: atque etiam duos facis Christos: nam si humanitati non satis est in Verbi natura habere omnipotentiam vt homo Christus sit omnipotens, neque etiam satis erit humanitati in persona Verbi subsistere, sed vt propria omnipotentia ita quoque propria subsistentia seu persona illi tribuenda erit, qui fuit Nestorij error. Atque hoc necessario ex ipsorũ dogmatibus consequitur. Nam quoniam nullam agnoscunt vnionem personalem nisi quæ per realem transfusionem fiat; sequitur, sicut diuinitas communicat huma-

Nestorij error.

nitati omnipotentiam, omnisapientiam, omni præsentiam, quæ tamen alia sit à Verbi Omnipotentia, omniscientia & omnipræsentia, sequitur inquam etiam personam à Verbo communicari humanæ naturæ, vt aliam habeat personam (vt Nestorius voluit) à persona Verbi: alioqui non plenam habebit communionem.

CAPVT VII.

Corpus Christi non esse ubique, sed in uno loco, in cœlo.

DVo in hoc capite agit D. Andreas, primum nos arguit quod statum controuersiæ peruertamus, ac scribamus ipsos asserere corpus Christi secundum naturam humanorum corporum vbique præsens esse, quod nunquam asseruerint: atq; in hoc loco se mirabiliter iactat, atque nos plane conuictos putat. Secundo loco Lutheri verba subijcit ad explicandum & probandum Vbiquitatem corporis Christi. Nos Deo adiuuante eum qui nos mendacij accusat, in hoc ipso capite non semel sed sæpius calumnia & mendacijs vsum esse conuincemus, idq; tam clare & euidenter, vt omnes sano iudicio prædití eius imposturas & fraudes cernere possint.

D. Andreas omittit id quod præcipue controuertitur.

Primum inquit de eo hactenus inter nos fuisse controuersiam, An corpus Christi, quod substan-

substantia sua nostris corporibus excepto peccato simile est, hoc priuilegij habeat præ reliquis sanctorum corporibus, vt eodem tempore diuina cœlesti & supernaturali ratione vere simul pluribus aut omnibus in locis in terra præsens esse possit, an vero hoc sit impossibile, quia si hoc fieret, Christi corpus non esset verum corpus humanum, sed tantum spectrum quoddam, ac prorsus in spiritum mutatum esset. Atque hic prima fallacia ab eo committitur, quod id ommittit de quo maxime controuertitur, an corpus Christi ESSENTIALITER, SUBSTANTIALITER, REALITER, CORPORALITER sit vbique, talem enim præsentiam corporis Christi in cœna asserunt, & huius stabiliendæ gratia Vbiquitatem excogitarunt. Ac Brentius in libro contra Bullingerum asserit humanam Christi substantiam omnia implere: & vbicunq; est Christus Deus cum sua maiestate & omnipotentia, ibi etiam necessario Christum esse vna cum corpore & anima sua. Pag. 10 & 12.

Hoc superfluum, quia sola non sat: vel verum superflua

Deinde summa certaminis inter Brentiũ & nos ab initio hęc fuit: An corpus Christi in cœlis ad dexterã patris sedens seruet naturã humanorũ corporũ, vt simul & semel in vno tantum loco sit, an verò cõtra abiecta humani corporis proprietate, simul multis in locis aut etiã vbiq; substantia sua præsens existat. Itaque iniuriam nobis facit D. Andreas quod nos dicamus ipso- Status controuersiæ.

docere corpus Christi iuxta naturā & proprietatem humanorum corporum in multis aut omnibus locis existere. Hæc enim sunt verba nostra: Deinceps nobis expendendum est, an corpus Domini nostri Iesu Christi, quod ex beata virgine assumpsit, in gloria & exaltatione sua ad dexteram Dei, per Dei omnipotentiam ita deificatum sit, vt non amplius iuxta naturam humanorum corporum in vno loco sit, sed simul in multis locis & vbique, seu vndique in cœlo & in terris existat: An inquam hæc sit voluntas Dei verbo ipsius patefacta, vt verum corpus Christi non circumscribatur aliquo cœli loco, sed vbiq; sit. Etenim nisi ostendatur hanc esse Dei voluntatem verbo eius expressam, quod Christi corpus omni circumscriptione careat, & vbiquitarium sit, frustra Dei omnipotentia prætenditur, vt quæ hic nihil probare possit.

Non quæri mus an secundum naturā corporū sit ubiq;.

Cum igitur scribimus, quæri an corpus Christi non amplius iuxta naturam humanorum corporum in vno loco sit, sed simul in multis locis & vbique, facile intelligit Iacobus Andreæ, illud posterius non inferri vt proprietatem aut naturam humanorum corporum, sed potius vt aliquid contrarium. Si enim dicā exempli gratia, Iacobus Andreæ non amplius iuxta morem Theologorum simpliciter, candide, & ingenuè nobiscum agit, sed calumnijs & mendacijs nos opprimere conatur: non hoc dico, Theologorum morem esse calumnijs & mendacijs vti sed

eum

ctum contra quàm decet Theologum, calumniatorem & sophistam agere indico. Et certè huius sophistices & calumniæ exemplũ est quod paulò post pag. 78. denuo repetit, hanc quæstionem à nobis constitui, An corpus Christi iuxta naturam humanorum corporum sit in multis & omnibus locis: vbi fraudulenter omittit, quod nos addidimus, An iuxta naturam corporis non amplius sit vno loco simul, sed vbique. Aduersatiua enim particula satis ostendit quis sit quæstionis sensus, nempe, An Christus retineat humani corporis proprietatem in cœlis ad dexteram Dei sedens. Etenim aduersariorum aliqui apertè docuerunt Christum ascensione sua in cœlos abiecisse hanc proprietatem humani corporis, ita vt corpus eius in cœlesti maiestate & spirituali mundo non amplius habeat suam circumscriptionem, neque certo loco contineatur, hinc illæ disputationes exortæ sunt, quibus probare voluerunt, loco circumscriptum esse, inter accidentarias proprietates corporis numerari debere: item circumscriptionem loci esse imbecillitatẽ quandam corpoream ac carnalem deformitatem & ignominiam. Contra nostri ostenderunt circumscriptionem ad naturam corporis pertinere, seu substantialem eius proprietatem esse, cũ autem Christus ad dexteram Dei sedens naturã & proprietatẽ humani corporis non exuerit, cõsequens esse, vt corpus eius substantia sua nõ possit esse vbiq;

Omisit fraudulẽter nostra verba.

Aduersarij docuerunt Christi corpus nõ amplius esse circumscriptum.

Brentius recognit: pag. 66.

L

Duplex modus corporis Christi.

Non ignoramus ipsorum latibulum, nempe duplicem esse modum corporis Christi, priorem quo consideratur iuxta naturam humani corporis, alterum quo consyderatur quatenus in vnam personam à filio Dei assumptum est, quo modo Christum corpore suo vbique præsentem esse volunt, sed hic illis ostendendū erat, quia de substantiali corporis Christi præsentia quæstio est, vel Christum in gloria & maiestate sua abiecisse veri corporis naturam & proprietatem: vel si eam seruat, non tamen hæc esse contradictoria, corpus Christi substantialiter in loco esse, & idem substātialiter vbique esse. Brētius alicubi prius illud ostendere conatus est, corpus Christi in sua gloria non esse circumscriptum: posterius D. Andreę asserit, qui scribit hæc inter se nō pugnare, Christum corpore suo esse in vno loco, & Christum corpore suo esse vbique. Etenim naturaliter & essentialiter esse in vno loco, personaliter verò esse vbiq;. Sed quia scit controuersiam fuisse de substantiali & essentiali præsentia carnis Christi, vt se in latebras abdere possit, duplicem eius facit essentiā, naturalem & personalem, quo possit dicere corpus Christi essentialiter vbiq; esse, essētia scilicet personali. Sed hæc omnia nihil sunt nisi mera verborum sophismata, nouę & ambiguæ locutiones. Nā primū cum humana natura nō habeat suā propriā personam, sed in hypostasi Verbi subsistat, non potest illi tribui personalis essentia, nisi id ita accipiamus, humanitatem cum di

uinitate vnam eſſe perſonam, quæ non humani tatis ſed hominis eſt eſſentia perſonalis. Sed inde non ſequitur humanam naturam ſubſtantialiter vbique eſſe, quia diuina natura cum qua vna perſona eſt, vbique exiſtit, ſed hoc tantum hinc cōficitur, perſonā cuius ipſa pars eſt, vbiq; eſſe, quo ſanè modo alias teſtati ſumus perſonalem præſentiam à nobis non damnari, ſed tamē hanc locutionem vt obſcuram & ambiguā nos omittere, ac malle perſpicuè & vſitate loqui. Deinde errat D. Andreas, quod nos arbitratur humanam tantum naturam corporis Chriſti conſiderare, & nō etiam eiuſdem maieſtatem. Nos enim Dei beneficio veram maieſtatem corporis Chriſti & agnoſcimus, & prædicauimus longe fidelius quàm ipſi vnquam fecerint. Illam autem quam ipſi fingunt præter ſcripturas communicatam Deitatem, & proprietatum Deitatis in humanam naturam tranſfuſionem, quæ nihil aliud quā naturarū cōfuſio eſt, nequaquā agnoſcimus. Quod aūt addit, nos negare humanam Chriſti naturā cū maieſtate diuinitatis aliquā vere & reipſa cōmunionē habere, ſuperiori capite cōfutauimus, & apertā calumniā eſſe oſtēdimus, quā tamē aduerſariū nō pudet hoc loco & ſæpe deinceps repetere. Neq; aliter ſtatuēdum eſt de eo quod ſubijcit, nos tantum probare Chriſti corpus iuxta naturam humanorum corporum non eſſe vbique, ideoque noſtra refutatione non egere. Nos enim ex ſcripturis

ostendimus corpus Christi in gloria & ad dexteram Patris sedens, retinere hanc proprietatem humani corporis vt sit circumscriptū & in vno loco, non autem vbique præsens: Bona autem conscientia Brentium & omnes Vbiquistas accusauimus, & adhuc corā ecclesia Dei reos peragimus, qui docent illud ipsum finitum & circumscriptum corpus seruatoris nostri vbique præsens esse, vbicunque diuinitas præsens est, neq; tam stulti sumus, vt dicamus id fieri ex natura humani corporis, imò hoc nomine ipsos semper accusauimus & accusamus, quod hac sua Vbiquitate veritatem humani corporis tollant, nā si substantialiter vno in loco est, (quod ipsi quoque confitentur) non potest idem substantialiter vbique esse, quocunq; modo id fieri dicatur. Modus enim Dexteræ Dei quem toties inculcat, non est nouus aut diuersus modus præsentiæ, quæstio enim tantum est de substantiali præsentia, sed causam præsentiæ indicat. Cum enim humana natura per se iuxta proprietatem & naturam humani corporis non possit substantialiter vbiq; præsens esse, dicūt sessione ad Dexteram Dei hanc maiestatem accepisse humanitatem Christi vt vbique præsens sit. Sed cum loquantur de vbiquitate qua substantialiter præsens sit, non indicant nouū modum, voce enim substantialiter modus indicatur presentiæ. Quare cum ad modum Dexteræ confugiunt, necesse est vt ostendant hanc esse

Modus dexteræ.

volun-

voluntatē Dei, vt ſeſsione ad Dexteram corpus Chriſti contradictorias proprietates habeat, ac ſimul eodemq; tempore ſit circumſcriptū, & in circumſcriptum, atque vbique præſens, ſeruet humani corporis menſuram & proprietates, & nihilominus contra humani corporis naturam ſubſtantialiter vbiq; exiſtat. Si Dextera modum corporis indicaret, ſicut modus clarificati corporis non retinet infirmitates humanæ naturæ quas ante reſurrectionem & aſcenſionem habuit, quod Chriſtus verè eſurijt, ſitijt, delaſſatus fuit, dolores ſenſit & demum mortuus eſt, ſed has tollit, ita vt corpus glorificatum ab omni in firmitate & corruptione liberum ſit: ita modus Dexteræ, ſi verus corporis modus eſſet, non ſtatueret contraria in eiuſdem corporis ſubſtantia, ſed ea quæ tantæ maieſtati aduerſantur quā hac ſeſsione corpori Chriſti tribuunt, tolleret, & ita humanitas Chriſti ad Dexteram Dei collocata non amplius eſſet vllo modo circumſcripta & finita, ſed prorſus diuinitati exęquaretur. Quis autē non videt talem modum corporis abolere & tollere veritatē humanæ naturę? Si autē aduerſarij modo Dexteræ non intelligunt ſubſtantialē præſentiam, qua corpus abſolutū actu primo præſens exiſtat, ſed loquuntur de efficientiæ & operationis præſentia, quod humanitas Chriſti ita collocata ſit ad Dexteram Dei, vt diuinitas omnia volente & conſentiente humanitate gubernet, & omnibus rebus non ſub-

stantia sed ἐνεργείᾳ sua præsens sit, quid contendunt de eo quod nemo nostrum negat? & quoniam longe aliter olim scripserunt, & hodie adhuc obscure & ambigue loquuntur, abijciant quæso Sophismata, neque pudeat eos aliquando errasse, dent gloriam Deo, consulant paci & tranquillitati, & hanc suam sententiam tandem rotunde clare & perspicue exponant.

Quomodo Lutherus Vbiquitatem affirmauit.

Porrò quod scribit Lutherum ab initio docuisse corpus Christi non esse terreno aut clarificato modo iuxta naturam humanorū corporum in omnibus locis, sed iuxta modū dexteræ Dei ad quam humanitas Christi collocata est, ipsum in omnibus rebus & super omnia esse, itaque nos Luthero falsam opinionem affingere quod docuerit hęc iuxta naturam humani corporis fieri. Respondemus controuersiā cum Luthero non tam de Vbiquitate corporis Christi fuisse, quàm de præsentia eius substantiali in pane & vino Cœnæ dominicæ, cuius asserendæ gratia, etsi aliquando Vbiquitatis mentionem fecit, disertè tamen alibi docuit Christum iuxta modum & naturam glorificati corporis in Cœna præsentem esse definitiuo modo, idq; in confessione maiori aduersus Zuinglium & Oecolampadiū asseruit, & itē repetijt in cōfessione breui, quam paulò ante obitum suum edidit, in qua nulla fit Vbiquitatis mētio, sed ita (inquit) docēt Papistæ, ac non tantum Papistæ sed ecclesia Christi, nosque cum illa, corpus Christi non

esse

esse localiter in loco sed definitiuè. Itaque Iacobus Andreæ à Luthero dissentit, quando negat Christum ratione clarificati corporis in Cœna præsentem esse: eadem enim est multipræsentiæ & omnipræsentiæ ratio. Deinde quo ad ipsam Vbiquitatem non prorsus cum Luthero cōsentit, Lutherus enim in maiori confessione scribit repletiuum modum Vbiquitatis soli Deo proprium esse, atq; hoc supernaturali modo hominem Christū vbiq; esse, vbi Deus est, ita vt hoc modo omnia vndiq; Christi plena sint etiam secundum humanitatem. Brentius verò triplicē statuit Vbiquitatem, Localem, repletiuam & personalem: solum autem Deum inquit, natura sua esse vbiq; vbiquitate repletiua, humanitatem autem in vnitatem personæ à filio Dei assumptam, vbiq; esse personali vbiquitate. Videat hic Christianus lector quam bene se Lutheri authoritate D. Andreas tueatur, qui id quod Lutherus affirmat, ipse negat, neq; hoc ignorantia quadam ab eo factū est, sed malitiosa fraude, vt Lutheri authoritate suam Vbiquitatē defendat. Simili improbitate & impudentia nos ait Lutheri verba peruertere, & illi ascribere quod docuerit corpus Christi vbiq; præsens esse iuxta naturā humanorū corporū: quod si etiā hoc scripsissemus, an propterea à nobis Luthero fieret iniuria? Cū enim doceat Christū ratione gloriosi corporis in cœna multis in locis præsentē esse, an nō ratione humani corporis glorificati

De Person. Vnione pag. 11.

tamen multipræsentiam statuit, quę perparum ab omnipræsentia differt: sed nos hoc neque dę Luthero neq; de Brentio affirmauimus, ac malitiosé Andream verba nostra interpretari & fraudulenter aliqua omittere, ex his quæ supra adduximus quiuis æquus Lector facile animaduertet.

Quoniam veró conqueritur nos odiosè admodum articulum hunc de Vbiquitate vrgere, & nostris mendacijs apud omnes dogma hoc inuisum facere, vt ita nostrum errorem tegamus & in obliuionem abducamus, & ob hanc causam Lutheri verba adscribit, quibus ille suspicionem crassæ & corporalis præsentiæ Christi in Cœna auertere conatur, & Vbiquitatem corporis Christi probare: nos quoq; vicissim ea quæ Zuinglius & Oecolampadius Luthero responderunt adijciemus. Facile quidem erat hic ea commemorare quæ Lutherus crasse admodum de præsentia corporis Christi scribit, & his præterea adijcere toties confutatas aduersariorum aduersus nos calumnias, de nudis signis, de omnimoda Christi absentia à Cœna, atque alia huius generis, sed hæc toties repetita Lectori obtrudere noluimus. Atque cum Iacobus Andreæ in hoc ipso capite primum dolose ea verba omiserit quæ ad explicationé quæstionis maxime faciebant: deinde nostris verbis alienum sensum affinxerit, omittens ea, in quibus quæstionis vis posita est, & calumniam

D. Andreæ doli et mendacia in hoc capite.

2

3

quam

quam inde confinxit toties repetat: cum con- 4
trouersiam studiosè ambiguis verbis inuoluat:
præterea luculento mendacio nos calumnietur 5
quod humanæ naturę omnem communionem
cum diuina maiestate Christi adimamus: & po 6
stremo Lutheri authoritate abutatur, ea illum
negare fingens quæ ab ipso affirmantur, & con
tra illa alibi negans quę hic Lutherus affirmat:
tamen adeo omnem pudorem abiecit, vt post
tot calumnias & mendacia nos in fine Capitis
manifesti mendacij accuset, & spiritu mendacij
impelli scribat, quia Brentium dicimus nouum
cœlum confinxisse ignotum Patriarchis, Prophetis, Apostolis ac veteri ecclesiæ. Sed cũ ipse
toties in tam breui capite falsi conuincatur, iudicent pij quantum fidei illi tribuendum sit. Atque huic quidem homini qui omni pudore
caret, & conscientiæ sensum amisisse videtur, facile est talia aduersus innoxios spargere, non autem tam facile erit illi eadem apud æquos iudices probare, apud quos tum demum nos mendacij conuincet, quando probauerit sacras literas & Veteris ecclesiæ doctores descripsisse cœlum Vbiquarium, in quo sint ipsi etiam inferi, ipsi diaboli, non tantum homines beati simul & damnati, tale enim cœlum Brentium describere ipsius verbis adductis ostendimus. Atque cum tam impudenter neget ea quę publicis scriptis contestata extant, sperans scilicet se Sophisticis artibus & noua aliqua interpretatione

posse elabi, nos iure accusationem quam nobis intendit in illum retorquere possumus, & ex eius tot manifestis calumnijs, mendacijs, sophismatibus concludere, ipsum duci & impelli spiritu mendacij & calumniæ, atque contentionis.

Quoniam verò Lutherus tria argumenta præcipuè vrget: primum ab omnipotētia diuina qua Christus corpore suo præter corporalē & localem modum, alijs quoq; modis præsens esse possit: alterum à dextera Dei quæ vbiq; est, ad quam Christus sedet: postremum ab vnitate personæ: ad singula hæc Zuinglij & Oecolampadij responsiones subijciemus. De primo igitur sic scribit Oecolampadius: Porro inter omnia ista hoc vnū in primis vrgere incipit Lutherus, vt demonstremus Deo non alia ratione illud posibile esse, quam vt duo corpora in vno & eodem loco sint simul, et sese clarum ac euidens scripturæ testimonium habere gloriatur. Vbi rursum sic respondemus: Iam ante idem illud abundè demonstratum est, cum videlicet cum fidei analogia prorsus pugnet, cum corpori Christi omnino contrariū sit, eò quod veri corporis mensuram ipsi adimat, ac idem illud citra omnem loci dimensionem in mundum introducat. Quod si hanc regulam statuere velimus, quod nimirum Deo illud imposibile esse demonstrandū sit, iam idem illud omnes hæretici postulare poterūt, vt nimirū quen-

eunq;

cunq; ſcripturæ locum falſo & erroneo ſenſu ci tauerint, contradicentes ſibi Deo illud impoſsi bile eſſe demonſtrare compellant. Ad fidei ſim plicitatem nos reſpicere conuenit, ac tum demũ iudicium proferendum eſt. In hac permanere & conſiſtere, nec aliqua parte rationis noſtræ ſententiam ſequi, ſed cum modeſtia aliquid ſci- re oportet.

Ad argumentum autem à Dextera Dei ſum ptum ſic reſpondet Zuinglius: Attentis ergo a- nimis & vigilanti ſtudio hæc obſeruate, Princi pes ſanctiſsimi. Cum enim illud nobis demon- ſtrandum eſſe dicit, quod nimirum dextera Dei certus aliquis & circumſcriptus locus in cœlis ſit. Niſi enim id poſsimus, Chriſtum quoq; cor pore ſuo vbiq; eſſe clamitat. Hæc, inquam, di- cendo, vel dexteræ vel corporis Chriſti vocabu lo oculos noſtros perſtringere conatur. Qua- propter ſyllogiſmum ipſius totum in formam redigemus: ſi quo modo fucum ipſius poſsi- mus deprehendere:

Dei dextera eſt vbique.
Corpus Chriſti eſt ad dexteram Dei.
Ergo corpus Chriſti eſt vbique.

Debuit autem dicere, corpus Christi est dextera Dei. alioq[ui] sunt 4or termini.

Maiorem huius ſyllogiſmi propoſitionem falſam aut vitioſam eſſe dicere non poſſumus. Dei enim dexteram, id eſt, virtutem, poten- tiam & robur vbique eſſe, certò conſtat. Ad minorem ergo tranſeundum erit, ſi quid

vitij fortassis in illa latere possit. Atqui hoc loco Pauli locus sese nobis offert, qui in priori ad Thessal. epist. cap. 4. ait, Et sic semper cum Domino erimus. Vbi cum Domino esse longe alia ratione dicitur, quàm qua ipse vbique est. Alioquin nostra quoque corpora vbique esse, fateri cogeremur. Quapropter, cũ creatura apud Deũ esse dicitur, nequaquam eo sensu illud debet intelligi, vt eam iuxta diuinitatis maiestatem in infinitum quoq; extensam esse credamus. Si enim illud admittere velimus, iam quam nos creaturam dicimus, non creatura, sed ipse Deus esset. Solus enim & vnicus Deus infinitus & immensus est. Sic enim de illo Iob cap. 9. pronunciat, Extendit cœlos solus. Et cap. 23. Ipse enim solus est, & nemo auertere potest cogitationem eius. Porro natura hæc & conditio, qua VBIQVE EST, omnipotẽtiæ fons & prima, quod dici solet, scaturigo est. Si itaque creaturam vbique esse vere diceremus, ipsa certè omnipotens ille esset, & proinde creator, nõ creatura amplius. En principes sanctissimi. Hi errores omnes & absurda ista ex hac ratiocinatione sequerentur, si videlicet sic argumentari institueremus, Dei dextera est vbiq;: Ergo Christi corpus vel humanitas vbique est. Error itaque omnis in hoc versatur, quod cum Christum ad dexteram Dei esse dicimus, primo loco, quod humanam naturam attinet, nimis incautè colligendo nobis ipsis imponimus. Cum enim Christus duas in sese

se se naturas habeat, iuxta diuinam quidem nō inepte & vere dicere possumus, Christus est ad dexteram Dei: Dextera Dei est vbique: Ergo Christus est vbique. Verè, inquam hoc dicitur: sed iuxta diuinam naturam. Quod si hic Lutherus clamitet: Atqui vtraq; natura simul vnam & eandem personam, quæ indiuisa est, constituit. Iam & illud ipsum verè dicere fatebimur. Num autem idcircò sequetur, quod quæ vnius naturæ propria sunt, in alteram quoque conuenire, & ad eam referri debeant? Imò inquit Lutherus: Dicimus enim & bene dicimus: Deus est pro nobis mortuus: Deus à mortuis resurrexit. Hic nos ad hunc modum respondemus. De hisce & alijs huius generis locutionibus iam ante abundè satis disputatum est, vbi nimirum demonstrauimus, omnes eas loquendi formulas hac vna ratione consistere posse, quod nimirum is, qui passus est, mortuus est, & flagellantium ictus sustinuit, simul etiam Deus est: non autē, quod idcircò ipsa quoque Deitas aliquid passa sit.

Corratio Idiomatum

Porrò ad argumentum ab vnione desumptū idem sic respondet: Hic autem illud à Luthero scire cupimus, quid nam secūda illa verborum istorum parte innuere vel dicere velit (de primis enim nulla omnino nobis est controuersia) cum videlicet extra hunc hominem nullum omnino Deum esse pronunciat? Quæro enim num Deus tunc quoque fuerit, priusquam Chri

ſtus homo fieret? Sic enim arbitror. Ergo Deus tunc temporis extra humanam illam naturam, quam poſtea demũ aſſumpſit, Deus fuit. Quod ſi verò ſe de ea conditione vel tempore loqui dixerit, quo hominem iam aſſumpſit, iam illud mihi expediat velim, quid nam per vocabu-
1. lum EXTRA velit intelligi? Si dicere volet diuinam naturam non latius nec vlterius, quã humanitatem ipſius, extendi (huiuſmodi enim verbis & quæſtionibus hic omnino vtendum eſt,) iam illud ſequetur, vt Chriſtus neceſſariò omnia ſciuerit, ordinarit, potuerit, &c. Atqui hic iam propria ipſius verba (quæ in ſuperioribus producta ſunt) contradicere videbi-
2. mus. Si enim Deus vbique eſt, & iuxta Lutheri ſententiam humana quoque natura vbique eſt, illud omnino ſequetur, vt omnia videat, poſsit, ordinet & adminiſtret. Sed & illud ſequetur, quod non alibi quam in cruce paſſus ſit, alibi vero gaudio & lætitia fuerit affuſus. Quod
3. ſi verò Lutherus vocabulum EXTRA ſic accipi voluerit, vt Deum nuſquam eſſe intelligamus, vbi non homo ſit, iam nos quoque eandem cum illo ſententiam ſequimur. Deus enim vbicunque tandem ſit, homo eſt, nec vſquam
4. homo eſſe deſinit. Sin autem hæc ita à nobis accipi velit, vt Deus nuſquam locorum eſſe dicatur, quin humanitatem quoque ibidem verè eſſe credamus, grauiſsimè errat, quemadmodũ hactenus abunde ſatis demonſtratum eſt. Et ſi

Diale-

Dialecticorum regulas obseruare velimus, nunquam huiusmodi conuersionem facere licebit: Deus homo est, vbicunque tandem sit: Ergo humanitas quoq; est, vbicunq; Deus fuerit: Nec etiam illud sequetur: Ludouicus rex est, vbicũq; tandem sit: Ergo regnũ quoq; & regina est, vbi Ludouicus fuerit. Cũ enim ipse captiuus tenetur, regnũ nõ eo in loco est, in quo ille captiuus delitescit. Hæc in eũ duntaxat vsum dicimus, vt cæci isti & plusquam miseri cucculi, qui hũc Lutheri librũ tanti facere consueuerũt, tandẽ se longe stultiores, quã ille malus sit, esse videãt. Huiusmodi enim loquẽdi formulis vtitur, vt vel palpari, nedũ videri possit se totũ in hoc esse, vt verborũ fuco & præstigijs elabi possit. Quis enim vnquã sic locutus est: Extra hominẽ hunc Deus nullus est? Pugnãdo enim vincere & armatus è circo vel palæstra discedere conatur, quocũq; tãdem locorũ deueniat. Hoc miseri isti & stolidi homines videre nolunt. Vnde videre est, hanc illius propositionem, qua extra hominem hunc Deum nullum esse dicit, non puerilem modo, verum etiam falsam & blasphemam esse.

Porrò cum responsionis nostræ terminus in infinitum extendendus esset, siquidem omnibus istius erroribus sufficienti & digna responsione vellemus occurrere, illud iam tandem cuiusuis studio & diligentiæ committimus, vt post declarationem hanc nostram tam dilucidam, quiuis per sese oculis apertis rem peni-

tius inſpiciat. Vnde non quicquam aliud vlteri us de his dicturi, pauca duntaxat Lutheri verba ſibi inuicem contraria hic apponemus, quibus poſitis vela colligentes in portum feſtinabimus. Sic autem idem ille in ſua iſta confeſſione pronunciat:

„ Et vilis certè paruique pretij Chriſtus ille
„ meo iudicio foret, qui non niſi vno in loco dun
„ taxat vno & eodem tempore diuina ſimul & humana perſona eſſet. Videte quæſo, Principes ſanctiſſimi, nouã & monſtri plenam inuiſitati ſermonis ſimul & ſententiarũ generationem. Quis enim in ea eſt ſententia, vt Chriſtum vno duntaxat in loco vnicam perſonã eſſe dicat? Nonne & nos Deũ vbiq; hominem eſſe manifeſtis verbis fatemur? Et vbicunque Deus eſt, ibidẽ Deũ quoque hominem eſſe teſtamur? Hoc vnum verò excipimus, quod nimirum homo ille quem Chriſtus aſſumpſit, nõ vbique locorum ſit corporaliter, in quibus Deus eſt. Nam cum in cruce moreretur, nequaquam corporaliter ſimul etiam in cœlis erat. Interim tamen hæc ſententia noſtra perſonam nullo modo ſcindit aut viciat. Quod ipſum Pauli exemplo nõ ineptè diſcere licebit. Hic enim nihilominus Pauli perſona erat ſalua & integra, etiamſi mens in tertium cœlum abrepta peregrinaretur. Deinde aliud quoque huius generis exemplum è nobis ſumere licebit. Apud Deum certè erimus: is omni gaudio, lætitia & voluptate vera nos replebit,

ſic

ſic vt illis ad ſatietatem vsque æternum frui poſſimus: interim ipſe vbique erit, nos verò nequaquam: illum tamen qui vbique eſt, nos quoq; intuebimur, qualis nimirum ille eſt. Sic enim Ioãnes Apoſtolus in ſua Canonicâ ca. 3. inquit: Chariſſimi, nunc filij Dei ſumus: ſed quod futuri ſumus, nondum apparuit. Scimus autem, quoniam ſi apparauerit, SIMILES EI ERIMVS, QVONIAM VIDEBIMVS EVM, SICVTI EST. Tertium exemplum, quod ſimiliter noſtris oculis expoſitum cernere poſſumus, Solis eſt. Hic fulgore & ra- 3
dijs ſuis vniuerſum terrarum orbem illuminat, nec vnius duntaxat regionis eſt vel hominis, ſed omnium ſimul, & omnibus quoque ſufficere poteſt. Quartũ illud eſt, quod ſinguli noſtrûm 4
totum Solis corpus conſpicere poſſumus, cum illud tota terra maius ſit. Nec etiam opus eſt, vt vnus quisque noſtrum apud Solem vbique ſit: interim tamen omnes illo, quantum nobis ſufficere poteſt, fruimur. Quapropter cum hęc penes nos depræhendere poſſimus, iam ad Chriſti humanitatem aſcendamus, neceſſe eſt. Diligentiori conſyderatione obſeruemus quo pacto ipſe, qui Deus eſt om̃nia penetrans, & homo qui in ſummum ſubuectus faſtigium ad dextram Dei cõſidet, omnia per diuinitatem (quę ipſi in vnam perſonam vnita vel coniuncta eſt) videat, ſeipſum videlicet, Deum & hominem, & hominem in diuinitate, adeo vt poſt clarifica-

tionem nihil prorsus oculos ipsius latere possit. Post hanc enim pronunciabat, dicens, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: quod omne per diuinitatem illi contigit. Anteà quædam illi incognita erant. Quemadmodum verò, cum homo sit, omnia tamen videt: sic non idcirco iuxta humanitatem vbique est, quemadmodum supra demonstrauimus. Et vt personam illud diuidat vel scindat tantum abest, vt illud quoque non magis hominem scindat, quod ratione & scientia vniuersum mundum hunc comprehendit, videtque, cum interim corpus ipsius vix minimum aliquem telluris locum occupet. Atque hactenus Zuinglius.

CAPVT VIII.

De personali Vnione utriusque naturæ diuinæ & humanæ in Domino nostro Iesu Christo.

IN hoc capite responsionis nostræ ad Brentianum testamentum, doctrinam nostræ Ecclesiæ de vtriusque naturæ vnione in Christo paucis & perspicuè exposuimus ad repellendam Brentianam calumniam, qui ait nos veram de hac re doctrinam peruertere, & blasphema dogmata asserere: hanc nostram doctrinam cum D. Andreas confutare & damnare non possit, scribit nos personalem vnionem ore tantum confiteri, quasi scilicet aliud quiddam & con-

& contrarium sentiamus, quod ipse tantus vates & cordium inspector tantum norit, ac proximo quidem capite conatur ostendere doctrinam nostram pugnare cum vera doctrina de naturis in Christo: hic tantum interpretationem verborum Pauli ad Philippen. 2. nouam & à verbis Pauli alienam affert, de qua pauca nobis scribenda erunt. Primum autem scribit nos verba Pauli peruertere, qui dicamus Deum assumpsisse formam serui, Paulum enim de Christo loqui, quod nomen Deum & hominem in vna persona significet, & hic præcipue hominem, cum enim Christus non secundum diuinitatem, sed secundum humanitatem vnctus sit, eum etiam secundum humanitatem & propter humanitatem Christum esse. Sed hæc eius ratio infirma est, in Christo enim non tantum spectatur humanitas vncta, verum etiam diuinitas qua humana natura vncta est, & cum alibi scribatur Christum ante Abrahamum fuisse, & idem dicatur potentia & sapientia Dei, num dicemus hæc de eo dicta esse secundum humanitatem & propter humanitatem? sic in hoc Pauli loco Christus dicitur fuisse in forma Dei, hoc est, talis qualis est verus essentialiter Deus; nisi enim formam Dei pro diuina natura & essentia accipiamus, non potest dici æqualis Deo patri, communicata enim Deitas, & illæ creatæ proprietates diuinitatis in humana natura eam non faciunt Deo

Locum ad Philip. recte à nobis citatum.

æqualem. Hic ergo Deus verbum æqualis Deo patri, ac verus Deus seipsum exinaniuit assumpta forma serui, Deus enim non in se dicitur exinanitus, sed forma serui accepta, quatenus est incarnatus siue manifestatus in carne ac homo factus, et quidem infirmissimus excepto peccato. Quod autem obijcit Andreas, si forma serui significet humanam naturam, Christum nunc quoq; in gloria seruum fore, ambiguum est: humana enim natura serua dicitur comparatione diuinitatis, natura enim finita & creata infinitę æternæ & creatrici deitati conferri non potest: ac sicuti humana natura etiam in gloria est creatura, neque tamen propterea cum creaturis vanitati obnoxia, ita eadem etiam in se consyderata serua dici potest: Et Augustinus inquit, Christum in forma serui sedere ad dexteram patris. Dicitur etiam Christus non tantum assumpsisse serui formam, verum etiam accepta hac serui forma similis factus hominibus, sese humiliasse & obediens fuisse vsque ad mortem crucis, hoc est, infirmitati humanæ naturæ, & miseræ atq; seruili conditioni sese subiecit nostri causa verus homo factus. Ab hac autem seruitute liberatus est, non tantum eo modo quo nos per ipsum liberabimur, quando omnem corruptionem exuemus, sed à Deo in summam, vt Paulus scribit, sublimitatē elatus est, Dominus ac Christus factus, vt iam omnes res creatæ illi seruiāt. Per formam autem Dei diuinam naturam, &

per

per serui formam, humanam naturam non tantum veteres intelligunt, Cyrillus, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, sed recentiores quoque omnes eodē modo Pauli verba interpretantur, & Brentius ipse ante hanc controuersiam non aliter hunc locum explicauit. Atq; hæc est simplex interpretatio cōsentiens verbis Apostoli, qua argumentū Pauli efficacius redditur & illæ antitheses Pauli hic propositæ conseruantur & illustrantur. Et quoniam Ecclesia orthodoxa semper ex hoc Pauli loco æternam diuinitatem & æqualitatem cum patre Christi seruatoris probauit contra Arrianos, Samosatenianos, atque alios hostes gloriæ Christi, iudicent pij lectores an Vbiquistæ qui alijs Arrianismum obijciunt, vero studio gloriæ eius ducantur, quando tantum contentionis studio firmissima testimonia scripturarū eneruare conantur, atque ita scientes & volentes nouis Arrianis arma suppeditant ad oppugnandam Ecclesiam? Certe huiusmodi argumenta ad verbum penè ex ipsorum, non nostris libris descripta, nunc in Vngaria illi iactant, qui Christum non ante fuisse dicunt quam ex Virgine nascetur. Si nos hoc modo cum Arrianis colluderemus, Deus bone, quomodo tandem nos Doctor iste tractaret, qui nos quamuis voce & scriptis publicè Arrianismum oppugnantes nihilominus Arrianos facit? Sed hæc est nostra conditio, vt illi liceat impunè calumniari & con-

Vbiquistæ Samosatenianis uiā sternunt.

uiciari, omniaque ſuis ſophiſmatibus inuolue-re, Arrianas que theſes probare & confirmare, interea hi ſoli mendacij & Arrianiſmi ſpiritu du cuntur, qui veritate duce illius fraudes & impo ſturas inueſtigant & detegunt.

CAPVT IX.

Diſtinctione duarum naturarum in Chri ſto, vnitas perſonæ Chriſti non ſoluitur aut ſeparatur.

VEtus hæc eſt conſuetudo improborum ho minū, vt alios de his criminibus accuſent, quæ ipſi patrarūt, ſi fortè hac ratione ſeipſos ſu ſpicione & culpa liberare poſſint. Id ipſum Iacobus Andreæ cum ſæpe aliàs in hoc ſuo libro, tum in hoc ipſo capite ſtudioſe obſeruat. Nam ab initio nos mendacij accuſat, quod inſcriptio ne huius capitis conemur ipſos in ſuſpicionem vocare quaſi naturas non diſtinguerent, ac nos propter naturarum & proprietatum diſtinctionem Neſtorianos vocarent, nullum autem ait eſſe inter nos certamen de diſcrimine natura rum & proprietatum, ſed hoc eſſe caput controuerſiæ, An humana natura cum proprietatibus diuinæ naturæ re ipſa communionem aliquam habeat. Verum ille nos aut valde obli-

uioſos

uiosos aut ſtupidos exiſtimat, quibus credit ſe hæc perſuadere poſſe: extant eorum libri in quibus hoc præcipuè contendunt, humanam Chriſti naturam vbique eſſe, vbicunque ſit eius diuinitas & ni hoc concedatur, nullum diſcrimen ſtatui inter Chriſtum & Petrum, atque vnionem perſonæ ſolui: huic doctrinę noſtri ſe oppoſuerunt, & docuerunt, vbique præſentem eſſe ſoli diuinæ naturæ conuenire, ideóque humanam in Chriſto naturam non eſſe vbique, vbicunque eſt diuinitas, ſed manere certo loco circumſcriptam: illi contra nos Neſtorianos eſſe dixerunt, qui diuidamus naturas in Chriſto negata vbiquitate carnis Chriſti. Huic igitur criminationi hoc capite reſpondimus, & oſtendimus etiamſi diuinitas ſit vbique, humanitas non ſit vbique, perſonam tamen Chriſti non ſolui, quia vnio ita facta eſt, vt ea ſalua naturarum proprietates diſtinctæ maneant: vbique eſſe, proprietatem eſſe diuinæ naturæ, circumſcribi autem & in loco eſſe, humanæ naturæ eſſe proprium, & eodem modo ſcripturas diſtincte de naturis in Chriſto loqui, neque tamen perſonam Chriſti ſoluere: ſimiliter orthodoxos olim Neſtorianiſmi accuſatos ab Eutychianis, quod naturarum proprietates diſtinguendo diuinitatem vbique, humanitatem non vbique eſſe docerent: atque hæc eſt ſumma reſponſionis noſtræ. Cum autem nihil magis vulgatum ſit in Brentij libris quam negari

veram vnionem, si humanitas non vbiq; statuatur præsens vbi diuinitas adest, & contrariũ asserentes Nestorianismi accusentur, nos certè nõ à statu controuersiæ discessimus, docentes eos qui contrarium asserunt, nihil aliud facere quã vt discrimina naturarum & proprietatum salua conseruent, quod certe vnionem non tollit. Fatentur quidẽ aduersarij se discrimina naturarum & proprietatum in Christo salua retinere, sed ea affirmant, ex quibus mere Eutychianá proprietatum confusio sequitur, id quód non nos tantum, sed multi etiam alij publicis scriptis ostenderunt.

An humanitas cõmunionẽ habeat cũ proprietatibus diuinitatis.

Porrò status controuersiæ quem hoc loco proponit Andreas, nuper admodum ab ipso constitutus est, antea enim ad comprobandam vbiquitatem asseruerunt, realem communicationem & transfusionem omnium proprietatum diuinæ naturæ in humanam naturam. Ab hoc autem propugnaculo vi veritatis depulsi & deiecti, hanc latebram excogitarunt, quod humanitas aliquam saltem communionem habeat cum proprietatibus diuinæ naturæ. Etsi autem ad hanc quæstionem supra respondimus, quia tamen toties eandem repetit, & in ea sibi admodum placet, nos quoque aliqua de hac re addemus. Dicimus itaque tam falsum esse, quam quod falsissimum est, quod D. Andreas toties de nobis affirmat, nos omnem prorsus communionem humanitatis cum pro-

essentia et proprietas in Deo idem sunt.

proprietatibus diuinæ naturæ abnegare. Nam cum in Deo proprietates & essentia vnum & idem sint, atque Dei omnipotentia, omniscientia, omnipræsentia, & quicquid huiusmodi proprietatum est, sint ipsa essentia, eadem etiam est communio proprietatum, quæ & essentiæ. Hanc autem habet communionem humanitas cum diuinitate verè & reipsa, quod duæ hæ naturæ ineffabili copulatione seu vnione in vnam personam, siue in vnam hypostasin vnitæ sunt, neque tamen humanitas facta est diuinitas aut est Deus, sed homo ille, quia in sua hypostasi diuinitatem humanitati vnitam habet, est & dicitur Deus. Similiter humanitas copulata diuinitati omnipotenti & omnipræsenti, ipsa quidem non fit propterea omnipotens aut omnipræsens, sed homo est omnipotens & omnipræsens. Nomen hominis totam personã complectitur, quæ verè Deus & verè homo est. Humanitatis autẽ nomen alteram tantum naturam huius personæ significat; tribuitur autem personæ quicquid naturis proprium est, sed non ita naturæ vni ascribi potest alterius naturæ proprietas qua ab alia differt, aliás enim proprietate & differentia hac sublata naturæ confunderentur. Non autem propterea sequitur humanitatem nullam cõmunionem habere nisi titulotenus cum diuinitate & eius proprietatibus, nisi reipsa attribuantur humanitati quæ de homine di-

Not.B.

καθ' αὑτό, sed καθ' ἄλλο

cuntur, nam etsi humanitas non dicitur Deus, cum tamen homo sit Deus, non ideò nulla est communio humanitatis cum diuina natura. Nam quod duæ hæ naturæ in vnam personam coniunctæ sunt, non est res inanis & nudus titulus, sed ipsa humanitas Christi hac ratione supra omnes creaturas euecta est, huic enim soli datum est vt cum diuinitate vnam personam, vnum Christum faciat. Deinde humanæ huic naturæ datum est imperium in omnes creaturas, quæ Christo etiam secundum humanitatem subiectæ sunt & inseruiunt: ipsa etiam humana natura in se sapientia, iustitia, sanctitate & gloria ac potestate supra omnes angelos & homines ornata est. Non igitur nomen tantum inane habet. Et quamuis ea quæ de homine dicuntur, non similiter dici possint de humanitate, nihilominus tamen verè de homine dicuntur, idque ideo, quia humanitas verè & reipsa non nomine tantum cum diuinitate in vnam personam copulata est. Quod si per communionem intelligitur realis communicatio & transfusio omnipotentiæ & aliarum proprietatum diuinæ naturę in humanam naturam, qualem hactenus docuerunt Vbiquistæ, apertè fatemur hanc communionem à nobis improbari, quæ nihil aliud est nisi naturarum confusio. Nam si cõmunicatione reali omnipotentiæ humana natura est omnipo-

ſtens: vel hæc communicata omnipotentia diſtinguenda eſt ab omnipotentia Dei Verbi qua eſſentialiter omnipotens eſt, ac tum alia erit in Chriſto etiam Deitas ab eſſentia Filij Dei, & ſic homo Chriſtus non verè & reipſa Deus & omnipotens erit, ſed tantum participatione quadam: Vel communio hæc realis intelligitur de ipſa eſſentia Verbi, vt ea quæ humanitas vult & poteſt, Verbi voluntate & potentia velit & poſsit, atque hoc modo omnipotentia illa humanitatis quoque eſſentia fiet, & quod abſurdiſsimum eſt, ipſiſsimæ naturæ cofundentur: vel ſi dicantur inconuertibiliter diſtinctæ manere, & tamen humana natura Verbi potentia agit & operatur, tum proprietates & actiones vtrinque communes, & quaſi à communi natura progredientes conſtituuntur; qui fuit Monothelitarum error. Monothelitæ

Probat deinde communionem humanitatis cum diuinitate ſimilitudine animæ & corporis quæ vnum hominem conſtituunt, ſic etiam Deum & hominem vnum eſſe Chriſtum; inde conficit veram eſſe communionem proprietatum vtriuſque naturæ, ſic vt quæ Deitati propria ſunt, humana natura cum ipſa communia habeat, non nomine tantum, ſed verè & reipſa. Hæc autem vt & alia ab ipſo ambiguè dicuntur: ac ſimilitudinem quidem animæ & corporis quæ vnum hominem conſtituunt, Similitudo animæ & corporis.

qua Athanasius vtitur, nos non reijcimus: ipsi vero in Mulbrunensi colloquio hanc similitudinem extenuare & reijcere conati sunt: cæterum non probamus quod ex hac similitudine alibi concludunt, vt anima omnes suas vires & operationes per suum corpus exequitur, ita etiam diuinitatem omnia facere per humanitatem & cum humanitate sua, atque hanc aiunt esse rationem vnionis personalis. Hic autem primò negamus assumptum, mens enim quæ præcipua humanæ animæ facultas est, suas operationes non perficit per corpus, id quod Philosophi multis disputant, ad quos Vbiquistas remittimus: quamuis enim nobis aliquando obiecerint quod philosophicis rationibus vtamur, nunc tamen ipsi vix alia præsidia suæ causæ habent. Quod si maxime concedatur illis hoc assumptum, non tamen inde conficietur diuinitatem omnes suas vires & operationes per assumptam humanitatem exequi, ingens enim est dissimilitudo inter diuinitatem Christi & animam humanã: humana enim anima finita & ratione naturæ suæ circumscripta est, itaque corpori vnita non est etiam extra corpus, ideoque quandiu corpori coniuncta est non alibi nisi in ipso operatur, etiam ea quæ absque corporis ope agit, diuina autem natura infinita & incircũscripta est, & vnita humanæ naturæ in vnam personam, ab ea non includitur aut circumscribitur sicut anima à

corpore,

corpore, ſed intra & extra illam manet & efficax eſt: quod ſi per omnia par ratio operandi ſtatuenda eſſet, conſequeretur diuinitatem Chriſti res cognoſcere per aſſumptã humanitatem ſicut anima per ſenſus exteriores & interiores, quod omnino dicere abſurdũ eſt. Adhæc ſi diuinitas omnia facit per humanitatẽ, per hanc etiam Chriſtus ſeipſum à mortuis ſuſcitaſſet, & per eandem humanam naturam ſuſtentaret, cum tamen ſcripturæ doceant ipſum omnia ſuſtentare verbo omnipotenti, & Deum ipſum à mortuis ſuſcitaſſe: quare hac ſimilitudine non id conficitur quod aduerſarij volunt. Ac quod de communione dicit aduerſarius, ſano ſenſu ſępe iam à nobis expoſito recipimus, ac probamus eam quam ſubijcit explicationem: ſicut humanitas aſſumpta à filio Dei illius propria caro & propria humanitas eſt; ita etiam Filium Dei cum omni ſua maieſtate aſſumptæ humanitati proprium factum eſſe. Verum vt humanæ naturæ proprietates filio Dei attribuuntur in concreto, ita vt Deus dicatur paſſus & mortuus, non autem ipſa diuinitas, quia illa perſona quæ verè & Deus & homo eſt paſſa eſt, non in diuinitatis ſuæ, ſed in carnis ſuæ natura, quæ tamen caro diuinitati arcana & inſolubili copulatione vnita & coniuncta eſt vt ſit propria filij Dei caro: ita etiam omnipotentia aliæque proprietates diuinitatis ſunt humanitati propriæ factę in concreto non

in abſtracto, vt homo ille ſit omnipotens, non in humanitatis ſuæ ſed in diuinitatis ſeu Verbi natura, quæ tamen diuinitas humanitati con=iuncta, conſtituit huius hominis perſonam: ſed quod ad naturas ipſas attinet ſicut diuinitas non moritur nec patitur, ſed Deus & Dominus gloriæ crucifixus & mortuus eſt, ita etiam humanitas non poteſt omnia, ſed homo ille eſt omnipotens: ac ſicut mors non pertinet ad diuinitatem & tamen ad Deum pertinet, & illi propria eſt in carne ſua: ita etiam omnipotentia non pertinet ad humanitatem nec illi ineſt vt forma aut vt accidens, ſed tamen eſt propria hominis, vt homo ille omnipotens ſit, non in carnis ſuæ ſed in Verbi natura. Atque hæc quæ diximus de omnipotentia, ſimiliter intelligenda ſunt de alijs proprietatibus diuinæ naturæ. Quod autem non omnia de humanitate dicuntur quæ de homine, hæc ratio eſt, quod homo ille ſubſtantiali vnione ſiue perſonaliter duplici natura præditus eſt, vna quidem ſua propria, altera vero diuina: quare quæ vtriusque naturę propria ſunt de illo dicuntur, & diuinæ proprietates verè ipſi tribuuntur, quibus tamen non in ſua ipſius natura ſed in ea in qua hypoſtatice ſubſiſtit præditus eſt: Humanitas autem vnam tantum naturam ſignificat, de qua ea ſolum dicuntur quæ huius naturę propria ſunt.

Quod

Quod autem D. Andreas asserit nos præsentiam carnis Christi, & eius viuificam vim, atque omniscientiam humanitatis Christi aliaque huiusmodi negare, atque ideo etiam in Cœna Domini homines à corpore & humanitate Christi ablegare ad Spiritum sanctum & eius virtutem, quod Christi spiritus sua gratia & virtute in Cœna Domini cum pane & vino adsit, atque hæc efficiat, non autem corpus Christi, de quo sentiamus perinde atque de alicuius sancti corpore, nisi quod aliquanto altius glorificatum sit: atque ita nos ore confiteri tantum vnionem personalem humanitatis cũ filio Dei, interea asserere nullam esse realem communionem humanæ naturæ cum essentiali maiestate omnipotentiæ & virtute filij Dei, sed tantum esse ἀλλοίωσιν seu communicationem ἰδιωμάτων, quæ nihil aliud sit quam nominum permutatio, ita vt diuinitas humanitati de sua maiestate nihil nisi nomen communicet. Hæc inquam omnia satis vt arbitror ex his quæ supra attulimus confutata sunt, & qui nostra legerint facile perspiciunt, quam partim malignè nostra interpretetur, partim ea nobis affingat quæ nunquam scripsimus aut cogitauimus: sicuti etiam mox pari fide subijcit nos asserere diuinitatem ita sibi habere suam maiestatem vt humanitas nihil cum ea cõmune habeat, & vt ea absq; humana natura vtatur: supra

Calumniæ & falsæ accusationes.

Ἀλλοίωσις.

Diuinitas an absq; humanitate aliquid agat.

autem sæpe diximus nos constanter asserere cōmunionem quæ constat copulatione ineffabili humanitatis cum diuinitate. Quod vero ait diuinitatem sua maiestate absque humanitate vti, si ita accipiatur vt diuinitas Verbi agat & operetur absque humanitate, vt non coniunctam habeat humanitatem in eadem persona, & operatio illa non sit totius personæ, hoc est, Verbi incarnati, constanter negamus nos hoc docere aut docuisse: Sed si ita intelligatur agere & vti maiestate absque humanitate, vt non omnia opera maiestatis suæ per humanitatem tanquā instrumentum aliquod efficiat, fatemur id nos docere idque ex sacrarum literarum sententia: quamuis ea ipsa quæ diuinitas non per humanitatem operatur, nihilominus non absque humanitate faciat. Quod autem nobis hic Alloeosin obijcit, quam alibi ad inferos vsque detrudit & tamen alloeosin idem esse fatetur cum *κοινωνίᾳ ἰδιωμάτων*, gaudemus eum Zuinglij causam cum veteri Ecclesia coniungere, quæ cōmunionem *ἰδιωμάτων* docuit, neque eam fecit realem, qualem Vbiquistæ nostra demum ætate finxerunt. Non autem arbitramur hoc eorum figmētum nostra confutatione egere. Nam non tantum fratres nostri in Geneuensi & Heidelbergensi Ecclesia, verū etiam doctissimi Theologi celeberrimæ Vuittebergensis Academiæ hanc eorum realem *ἰδιωμάτων* cōmunicationem publico scripto grauissimè confutarunt.

Alloeosis.

Porro

Porro in eo quod addit, Verba Christi absque tropo accipienda esse, aut si tropo vti libeat, synechdochen adhibendam esse, iterum animi sui malignitatem prodit. Si enim simpliciter accipienda sunt verba Christi, quo iure & authoritate ea per synechdochen interpretari iubet? Cũ Deus dicitur passus & mortuus, an hęc simpliciter accipienda sunt, & iuxta Andreanã Theologiã quod de concreto dicitur, de abstracto etiam dicendum erit? Itaque erit simplex sensus, diuinitatem Christi passam & mortuã esse, quod cum videat Iacobus Andreæ non posse sine impietate asseri, quamuis simplicitatem retinendam iactet, necessariò tamen tropum synechdoches adhibendum fatetur: & pari modo hic agunt atque in explicatione verborum cœnæ domini, vbi tropos omnes detestantur, & tamẽ in illorum interpretatione velint nolint coguntur tropis vti. Cur autem potius vtendum synechdoche quam alloeosi? an non synechdoches vsus latius patet, & ijs quoque rebus conuenire potest quæ longissimè à se inuicem distantes nullo modo vnitæ sunt, nullamq; omnino proprietatem communem habent? & tamen verum vsum synechdoches nostri quoq; docuerunt ex Veterum sententia, & inter alios frater noster honorandus Theodorus Beza in doctissimis suis annotationibus Noui Testamẽti, in 3. cap. Euangelij Ioãnis. Nam quod Iacobus Andreæ subijcit in synechdoche non naturam pro

Th. Beza.

natura accipi, sed personalem cōmunionem indicari, annon in synecdoche pars pro toto & totum pro parte accipitur? Cum igitur dico Deus est passus & mortuus, duplex est synechdoche, illa enim persona quę diuinitate & humanitate cōstat ab altera tantū parte diuinitate nomē habet, & hęc est prima synechdoche, qua pars pro toto ponitur. Rurs⁹ cū dico, De⁹ passus est, pati, quod est humanæ naturæ, tribuo Deo, quod est propriū diuinitatis nomen: neq; tamē hoc Deo tribuo in ipsa diuinitate, seu in ipsa natura, sed in concreto, in persona, siue in toto, quia totum hoc quod est Deus, ipsa persona inquā Christi quæ non tantū diuinitate sed humanitate simul & diuinitate constat, passa est, sed tantum in altera sui parte hoc est humanitate: atq; hæc est altera synechdoche qua quod partis est toto tribuitur, quod tamen totum à parte altera nomen habet. Atque hoc modo necesse est vt suam synechdochen explicet, quemadmodum & nos alloeosin & idiomaton communionem explicamus: atque hoc quod Iacobus Andreæ negat, id quod vnius naturæ est, dici de persona, sed potius de natura in persona, minus congruit cum synechdoche quam cum alloeosi aut idiomaton communione. In synechdoche enim quod vnius naturæ, hoc est, partis est, dicitur de toto, id est, de ipsa persona. Atque parum sanè differunt, si sophistica remoueatur, id quod vnius naturæ est de altera dici in concreto

creto

tréto siue in persona, aut quod vnius naturæ proprium est de persona dici, quæ est pura & simplex synechdoche: quam cum solam Iacobus Andreæ probet, qua tandem constantia eius explicationem simplicem & perspicuam reijcere audet? Cur tamē alteram phrasin præferat non est obscurum. Cum enim dico omnipotentiam seu vbiquitatē quę diuinitatis propria est, tribui humanitati in persona, bifariam intelligi potest, vel quod ipsa humana natura in se particeps facta sit omnipotentiæ & omnipræsentiæ, postquam diuinitati in vnam personā vnita est, vt iam ipsa humanitas sit omnipotens & omnipræsens facta. Atq; talem communionem omnipotentiæ & aliarum proprietatum per realem transfusionem humanitati datā hactenus Vbiquistæ docuerunt: Vel intelligi potest hoc datum humanitati in persona, vt quamuis humanitas ipsa sua essentia non sit omnipræsens aut omnipotens facta, tamen in sua quasi essentia personali hæc habeat, quia personaliter vnita est & subsistit in Verbo omnipotente & omnipræsente. Quod enim humanitas illa subsistit & homo est, aliud habet hic homo esse personale quam cæteri homines, illorum enim humanitas per se subsistit, at hæc humanitas assumpta à Verbo in eius persona suam subsistentiam habet, ita vt iam homo hic non posiit diei & nominari, quin simul etiam intelligatur Deus in quo subsistit;

Et rursus Deus verbum assumpta carne non potest intelligi & nominari, vt non etiam in eadem persona intelligatur & nominetur homo ille quem assumpsit. Et hoc est quod Veteres dixerunt totum Deú hominem, & totum hominem Deú esse. Quicquid igitur dicitur de diuinitate, id etiam dici potest de humanitate in persona seu concreto, hoc est, de homine illo, qui Deus & homo est, vt diuinitatis propria est omnipotentia & omnipræsentia, & propterea dicitur homo ille præsens & omnipotens quia ad essentiam personæ eius pertinet omnipræsentia & omnipotentia, non quidem in humanitatis natura, sed in natura diuinitatis, quæ est pars huius hominis. Hoc autem de nullo alio homine dici potest, etsi enim Deus essentia sua & donis suis in sanctis hominibus inhabitat, non tamen diuinitas arcano illo & ineffabili modo illis vnita est, vt vnum quiddam & singulum & indiuiduum sint cum Deo in ipsis inhabitante. Atque hęc est communio quam nos asserimus. Cum autem hæc in nostris scriptis aperte doceamus, quemadmodum & Veteres eadem docuerunt, nulla fraude vtimur, cum dicimus Christum hominem omnipræsentem omnipotentem atque omniscium esse: Et si quæratur quæ sit cõmunio humanitatis cum diuina omnipotentia & maiestate, non hæsitamus vt Andreas nugatur, & dubitamus quid respondendum sit, neque nos sententiæ nostræ pudet, sed

Non tergiuersamur, sed aperte fidem nostram profitemur.

ſed diſertè dicimus, ſicuti ipſa diuinitas humanitati verè & reipſa ineffabili modo vnita eſt ad vnius perſonæ eſſentiam conſtituendam, vt homo Deus ſit, non autem humanitas ſit diuinitas aut Deus, ita etiam omnipotentiam, omnipræſentiam omnesque diuinitatis proprietates humanitati communes eſſe, non exæquatione naturarum & proprietatum, ſed copulatione in vnam hypoſtaſin ſeu perſonam Chriſti: atque ita ingenuè profitemur humanitatem neque ipſam omnipotentiam neque omnipotentem eſſe, participare tamen omnipotentiam Verbi per vnionem perſonalem non per tranſfuſionem. Hominem autem Chriſtum verè & reipſa omnipotentem eſſe fatemur, quoniam omnipotentiam quæ eſt diuina eſſentia Verbi, in ſua eſſentia habet vt partem eſſentiæ ſuæ, hoc de humanitate dici non poteſt, diuinitas enim non eſt eſſentia humanitatis, ſed eſſentia huius perſonæ. Quando verò phraſes ſcripturarum per alloeoſin aut communicationem idiomatωn interpretamur, ac oſtendimus quid cuiuſque naturæ proprium ſit, quomodo item quod vnius naturæ eſt, alteri tribuatur, nequaquam ab omni communione diuinarum proprietatum humanitatem excludimus, multo minus Chriſtum abnegamus, cum fontem huiuſmodi attributionum oſtendamus eſſe vnionem naturarum in vnam hypoſtaſin vere & reipſa factam, propter quam & Deus homo &

Alloeoſim quomodo explicemus.

homo Deus & omnipotens dicitur vere & proprie in persona, etsi improprie si naturas sigillatim consyderemus: atque hoc modo Veteres omnes communicationem proprietatum interpretati sunt, quos tamen propterea nemo bonus vnquam Christum abnegare dixit. Quare speramus neminem quoque fore qui nos tanti criminis damnet, neque dedignamur iudicium non tantum doctorum hominum sed simplicium quorumuis Christianorum, qui nō tantum aduersarij calumnias, sed nostra quoque scripta viderint & legerint, illi enim facile videbunt summam nobis fieri iniuriam in Brētiano Testamento, quod doctrinam de personali vnione duarum naturarum in Christo, & maiestate hominis Christi, oppugnemus, figmenta quidem Brentiana & noua dogmata quæ nuper Iacobus Andreæ fabricatus est, nos oppugnare fatemur: Sed orthodoxam doctrinam ex scripturis desumptam & in veteri Ecclesia receptam, vlla in parte à nobis violari nemo sane ostendere poterit

Similitudo oculi. Pene præterieramus hoc loco similitudinem qua D. Andreas vtitur, Oculus hominis ,, (inquit) mediam fere cœlorum partem com- ,, plectitur, hanc autem vim habet non ex sua na- ,, tura qua corpus est, sed ab anima, cum qua ,, personaliter est vnitus, vt iam non anima tan- ,, tum sed oculus cum anima & anima per ocu- ,, lum videat: ita quod corpori Christi attribui-

tur

tur vt simul in omnibus locis præsens sit, id non habet ex natura corporis, verum ex diuinitate filij Dei, est enim Dei corpus, quare propter diuinitatem ea illi attribuuntur quæ alioqui nulli neq; homini neque angelo verè ascribi possint. Atque ita iterum è Philosophia præsidia causæ suæ quærit D. Andreas, ac simili argumento antea quoque Brentius probare voluit corpus vnum posse esse in multis locis, quod vnus oculus multos homines comprehendat, ad quod illi Martyr noster grauiter respondit pag. 117. sui Dialogi: atque hac similitudine effici quidem potest corpus vnitum rei incorporeæ, habere cum illa actiones aliquas communes, & ea efficere quæ alioqui non posset facere, sed inde non efficitur id quod Iacobus Andreæ vult, corpus diuinitati coniunctum omnipræsens fieri aliasque proprietates diuinitatis accipere. Anima cernit per oculum, sed tamen ipsa substantia oculi non coniungitur illis rebus quas videt, illi autem concludere volunt Christi humanitatem omnibus rebus substantialiter præsentem esse: at operatio oculi eius substantiam non tollit, Vbiquitas vero naturam corporis tollit, & contradictionem manifestam implicat, vt scilicet personali vnione corpus alioquin circumscriptum & in loco existens, fiat incircumscriptum simul & vbique præsens. Atque hæc similitudo aduersarij illud toties inculcatum à

Brentio argumentum soluit: is enim contendit vnionem personalem solui nisi vna quæque natura vnita ibi existat vbi est altera, Oculus (inquit) personaliter vnitus est animæ, atque ità nó tantum anima sed oculus cum anima, siue anima per oculum videt. Esto. Sed adde etiam, oculus non est vbique vbicunque est anima, anima enim in manu, in pede & in alijs membris est tota in toto, & tota in singulis partibus: item anima non omnes suas actiones per oculum perficit, hinc autem conficitur corpus Christi diuinitati vnitum etsi multis ab ea donis ornetur, non tamen ex vnione hac necessario effici vt corpus Christi sit vbicunque est eius diuinitas, aut vt diuinitas omnia per corpus operetur.

Falsæ gloriationes & triūphi D. Andreæ.

Tandem in fine huius capitis ad locũ de cœna domini digreditur, ac inquit, suam doctrinã de persona Christi & cœna eius, veritati humanæ naturæ nihil derogare, ac nihilominus clarum ac simplicem verborum cœnæ sensum retinere. Hoc si tam verè præstitisset quam falsò iactat, non adeò contentiosi sumus, quin facilè in eorum sententiam transiremus, sed quam bene ipsorum doctrina cum sacris literis & veteris Ecclesiæ doctrina consentiat, iudicio Christiani lectoris committimus. Addit deinde nostrũ errorem ita detectũ esse, vt facile Dei beneficio omnes ipsum agnoscere & sibi cauere possint. Nam in articulo de persona & maiestate Christi

ita

ita nos craſſè loqui vt merito omnes pij à noſtra doctrina abhorreant. Verum qui ſunt hi errores, quorum nos egregius hic Doctor conuicit? nos eandē doctrinam de perſona & maieſtate Chriſti retinemus, quam ante annos 50. Eccleſijs noſtris propoſuimus, quam etiam Lutherus ipſe in conuentu Marpurgenſi approbauit: retinemus nō modo ſententiam ſed etiam phraſes veteris Eccleſiæ, adeò vt nos damnare non poſſint aduerſarij, quin ſimul Veteres damnent, quod in quibusdam ſatis impudenter facit noſter iſte doctor: neq; tamen vel Lutheri vel Patrum authoritati innitimur, ſed ſcripturis ſanctis, quarum teſtimonijs noſtra abunde ſatis cōfirmauimus. Quæ verò ſunt tā craſſa dogmata à quibus omnes abhorrere debeant? nū duplicē diuinitatē ſtatuimus in Chriſto, quemadmodū vos feciſtis? num vnquā docuimus in homine Chriſto creatam diuinitatem, omnipotentiam, omniſcientiam? num naturas in Chriſto ſeparamus & illarum proprietates confundimus? an verò doctrinam & articulos fidei noſtræ de incarnatione & aſcenſione in cœlum nouo ſenſu interpretamur & inuicem permiſcemus? hæc certè ſi faceremus, quorum vos conuicti eſtis, meritò homines à noſtra doctrina abhorrerent. Quod nam igitur illud eſt caput tam horrendum doctrinæ noſtræ? Verba (inquit) teſtamenti Chriſti mutatis & peruertitis, interpretando ea, Hoc eſt corpus meum, id eſt, hoc

significat corpus meum. Item dicitis humanam naturam cum diuina maiestate tantum titulotenus communionem habere. Verum hanc vanissimã calumniam sæpe iam cõfutauimus: ad alterũ vero caput respondemus. Si hęc verborũ Christi interpretatio ipsa peruertit, & illis alienũ sensum affert, tum veteres penè omnes eiusdẽ nobiscum criminis rei erunt, quos similiter verba Christi interpretari sæpenumero ostendimus: imò seipsum vnà nobiscum damnat D. Andreas, qui in hoc ipso libro hanc interpretationem probat, panem esse corpus Christi, id est, significare corpus Christi aut eius figuram esse, modò ne dicatur figura absentis corporis. Commemorat deinde fundamenta nostræ sententiæ, sed ea fide quam hactenus in commemorandis nostris præstitit: præcipua enim argumenta, & illa omnia quæ ad confirmandam nostram sententiam sæpe protulimus & ipsi non sunt ignota, omittit, & duo tantum profert: primum quod corpus Christi seruet naturam & proprietatem veri corporis ac circumscriptum sit, neque possit in pluribus locis simul præsens esse: deinde, quod Christus corpore suo è mundo exiuerit & in cœlos ascenderit. Attulimus autem hæc argumenta vnà cũ multis alijs ad confutandam Papisticam aduersariorum opinionem de reali, substantiali & corporali præsentia corporis Christi in cæna Domini, atque hactenus quidem Dei Beneficio firma persttiterunt: neque enim aduersarij potue-

Nostra argumenta non bona fide adducit.

sunt ostendere corpus Christi circumscriptionem abiecisse, et si id probare conati sunt: neque etiam firmum permansit alterum eorum figmentum, idem corpus natura sua circumscriptum visibile & sensibile esse, ac rursus modo dexteræ Dei esse incircumscriptum, inuisibile, insensibile. Nam hanc Dei voluntatem esse nullo argumento euicerunt, nisi quod subinde sophistarum more, id quod in quæstione est argumenti loco sumunt, Christum velle in cœna corpus suum substantialiter omnibus in locis adesse vbi cœna Domini peragitur. Frustra etiā repugnantibus scripturis & consensu veteris Ecclesiæ, omnia loca de absentia corporis Christi nobis extorquere conati sunt, quod his tantum negetur visibilis & localis præsentia: qua ipsorū interpretatione verbis scripturæ vis affertur, paralogismus accidentis cōmittitur, veritas humani corporis in Christo labefactatur. Iactat deinde se retinere simplicē sensū verborū Domini, quod falsissimū esse & nos aliquoties ostendimus, & idē multi alij fecerūt. Nullā hic (inquit) humanā esse additionem. Scilicet verba Christi sunt, corpus ipsius verū, substātiale, naturale in, cum, sub, iuxta panē & vinū corporaliter & substantialiter, realiter, admirando & supernaturali modo, incomprehensibiliter & inuisibiliter præsentia esse, hominum manu porrigi, hominum ore sumi: et tamen idem corpus Christi eodem tempore vbique terrarum in maxima quaque & minima re, & in quouis etiam

Falso gloriatur de simplicitate verborū.

ſpane, quouis cibo præſens eſſe, hic tamen tantum diſtribui: hæc enim illa eſt ſimplicitas quã ſeruant aduerſarij. Fatemur eum his verbis non vti hoc loco, ſed quis neſcit hæc vbique in eorum ſcriptis occurrere, & ab ijs inculcari, neque alio ſenſu & interpretatione verba Chriſti ab illis accipi? Tam bene verò ſibi conſcius eſt Iacobus Andreas de ſimplicitate verborum, vt in Mulbrunenſi colloquio vix potuerit adduci ad diſputationem de vero intellectu verborum Domini, & contenderit in hac cõtrouerſia fruſtra diſceptari de Cœna Domini, cuius tamẽ verba tam ſimplicia & clara iactat, niſi prius controuerſia de vnione perſonali & omnipræſentia corporis Chriſti explicata fuerit. Prætereà hoc ipſo loco ita verſutè ſuam ſententiam proponit, vt non indicet aut indicare audeat quid oſtendat pronomen demonſtratiuum HOC.
" Verba (inquit) Chriſti, Hoc eſt corpus meum,
" hic eſt ſanguis meus, in ſimplici ſenſu retine-
" mus, et credimus quod ipſum ſit verum corpus
" & ſanguis Chriſti. Quid igitur eſt hoc IPSVM quod credit eſſe corpus Chriſti? an corpus ipſum credit eſſe corpus? an panem eſſe corpus Chriſti? an id quod porrigitur in & cum pane, corpus Chriſti eſſe credit? Hic tergiuerſatione vtitur, neque ignorat in quas anguſtias coniectus ſit à doctiſsimis viris Heidelbergẽſis Scholæ, cùm in Mulbrunenſi colloquio, vt acta teſtantur, tum etiam publicis eorum ſcriptis quibus

bus nōdum satisfecit: & tamen iactat hanc suam doctrinam claro Dei verbo inniti, consolari & pacare conscientias, cum in his decantatissimis verbis, HOC EST CORPVS MEVM nondum inter ipsos conueniat quonam demonstratio referatur, cum Lutherus ad panem referat, alij identicam propositionem faciant, Iacobus Andreæ per locutiones à plenis loculis & cantharis petitas hanc propositionem explicare contendat. Et cum eorum sententia & interpretatio innitatur falsæ opinioni Papisticæ animo conceptæ, his verbis omnino statui realem præsentiā corporis Christi, quam firma conscientia huic innitantur, vel hinc apparet, quod vnius Lutheri, cuius summa est authoritas, tres diuisæ interpretationes ex scriptis illius supra à nobis allatæ sunt. Quā bene etiam sibi constent Vbiquistæ, facile deprehendet quicunque scripta eorum diuersa inter se contulerit. Vere autem de illis affirmari potest quod de Luthero scribit Zuinglius, Illud enim (inquit) firmiter credo ipsum per ōmne vitæ suæ tempus nunquam ne in animum quidem induxisse, vt corpus Christi vbique esse diceret, donec contentionis æstu eò adductus est: in qua tam miserum, dubium, varium & spe metuque trepidantem sese exhibet, vt eum referre mihi videatur, qui omnibus bonis alea amissis, postremò quoque patrimonij sui portionem huic commisit. Atque vtinam aduer-

Aduersarij incerti sunt de sua doctrina.

ſarij noſtri Lutheri pietatem in hac re potius quam dicēdi vehementiam imitari voluiſſent, is enim cum in ipſo ardore contentionis ſacramentariæ argumento Vbiquitatis vſus fuiſſet, poſteà tamen animaduertens quid ex hoc dogmate ſequeretur, quod ſcilicet eo labefactarentur præcipui articuli fidei noſtræ, nunquam deinde id repetijt & vrſit, quãuis in aſſerenda corporali præſentia firmus permanſerit. Cæterum noſtra doctrina ſicuti arenæ non innititur, vt falſo aſſerit aduerſarius, ita animos non facit dubios & incertos, ſed veram & ſolidam conſolationem adfert, quam omnes pij ſpiritu & fide manducantes corpus Chriſti in ſeipſis ſentiunt. Et hoc ipſum confirmant millia multa martyrum qui in Italia, Gallia, Belgico, Anglia vitã & ſanguinem ſuum inter cruciatus & tormenta acerbiſsima magna patientia conſtanter profuderunt, qui ſi vel in hoc vnico dogmate propius ad Papiſtas acceſsiſſent & cum aduerſarijs noſtris ſaltem companationem probaſſent, magna odij & tormentorum parte ſeſe leuare potuiſſent. Etſi autem hæc piorum hominum ſupplicia multi Vbiquiſtarum rident, & non deſunt qui eos diaboli martyres appellare audeant, ſcimus tamen in conſpectu Domini precioſam eſſe ipſorum mortem, qui ſuo tempore ipſorum perſecutores & horum gratulatores & inſtigatores iudicabit.

CAP.

CAPVT X.

De maiestate & gloria Christi.

QVoniam ea quæ de maiestate Christi scripsimus, D. Andreas, saluo pudore (si modo aliquis in eo reliquus est) reprehendere non poterat, quod proximum erat in eo nos reprehendit, quod non exponamus quonam modo Christus in possessione huius gloriæ constitutus sit, quod tamen præcipue inter nos controuertatur. Hoc autem quod falso de nobis affirmat, duabus calumnijs probare contendit: primo, quod dicamus Christum secundum humanitatem nihil cum diuina maiestate nisi tantum nomen commune habere: quod cum supra ostenderimus falso ipsum affirmare, non est quod denuo hoc eius mendacium, præsertim sæpius repetitum, confirtemus. Secundo, inquit, Zuingliani vt aliquid dicant & simplicibus imponant, asserunt maiestatem hanc in ipsa incarnatione cum humana natura perpetuo & insolubili vinculo vnitam esse. Atq; hoc est omne id ait quod de personali vnione & maiestate hominis Christi scribũt, Nos vero Iacobe Andrea, quod nõ ignoras,

Duplex calumnia D. Andreæ.

Pag. 75.

aliter quam tu referas scripsimus, nempe in hæc verba, Hæc maiestas (Deitas seu diuina maiestas) in ipsa statim incarnatione humanæ naturæ vinculo indissolubili vnita est: neque hęc maiestas noua quædam & creata diuinitas est, sed vnica essentialis & æterna diuinitas, quę humanam naturam suscepit & se illi coniunxit, non exæquatione aut commixtione, sed vnione duarum naturarũ IN VNAM PERSONAM: vt supra satis ostendimus. Cum igitur aperte hic explicemus nos non loqui de quauis vnione, sed de vnione duarum naturarum in vnam personam: & præterea remittamus ad superiorẽ expositionem personalis vnionis, quæ capite 8. tractatur, quam etiam reprehendere & confutare non es ausus, qua fronte, quo ore ausus es nos calumniari quod tantum insolubilem coniunctionem duarum naturarum asseramus? & cum simili calumniæ genere contra virum doctissimum Theod. Bezam fratrem nostrum vsus sis, & humaniter reprehensus de hac falsi specie, nihilominus pergas eodem modo nos quoque calumniari, quid aliud facis quam quod impudentẽ tuam malitiam prodis? Itaq; quod nobis obijcis, sanctos vnum esse cũ Christo Ioan. 17. ac proinde si personalis vnio & maiestas sit tantum insolubilis vnio aut copulatio, Petrum quoque & Paulum Deum dici posse: nihil ad nos pertinet, qui diuinam maiestatem non tantum insolubiliter humanitati copulatã

esse

esse, sed in vnam personam vnitam esse diximus, & vnionis huius rationem ex veterum sententia explicauimus, hoc autem de nullo sanctorum dici potest, in vnam personam cum diuinitate vnitum esse.

Verum non contentus priori calumnia Doctor noster eandē denuo repetendo amplificat, & ait, nos humanam Christi naturam diuinæ maiestatis cōmunione personali spoliare, atq; illi nudum nomen & titulum relinquere: quod tamen falso de nobis dici clarum & manifestū est. Secundo addit nos humanitati nullā aliam gloriam ascribere, nisi quam post resurrectionē demum assecuta sit, quod denuò falsum esse ostenditur nostris verbis, quibus manifestè docuimus hanc esse summam gloriam & maiestatem humanę naturæ, quod in vnitatē personę à filio Dei assumpta est, atq; hanc in ipsa incarnatione illi obtigisse. Tertiò adijcit, nos de eà gloria & maiestate loqui cuius filius hominis absque humanæ naturæ corruptione aut abolitione capax sit, atque ita ex filio hominis magnum quidem Dominum facere, qui hominibus atque angelis in cœlo & terra potentior sit, sed quia infinitæ omnipotentiæ Dei non sit capax, tantum per Allœosin omnipotētem vocari, ita vt sit permutatio nominum, nulla autem reipsa communio diuinæ maiestatis. Verum hic denuò in eundem lapidem impingit, quod idem esse putat filium hominis omnipo-

Aliud est homini quid tribuere quā humanitati.

tentem esse, & humanitatem esse omnipotentẽ. In ipsa cuiusuis hominis persona duę sunt naturæ, anima & corpus, & quicquid alterutri proprium est de homine dicitur, sed non ideo quicquid de homine dicitur, id ipsum dici potest de natura altera separatim: homo est mortalis, itẽ est sapiens, sed non propterea anima mortalis, aut corpus sapiens dicitur. Vulgo hoc facile animaduertitur in hominis exemplo, quia nomen ὑποστάσεως non à partis nomine deriuatum est, sed simpliciter totam hypostasin complectitur, sed cum de Christo loquimur, nomen hominis aut Dei ab altera parte personæ deductum est, attamen quia nomẽ hoc integram personã denotat, manet firma hæc regula, vt quicquid naturæ alterutri propriũ est, de persona dicatur, sed nõ inde consequitur, quicquid de persona dicitur, id de natura à qua nomen personæ deriuatmu est, dici posse, ac si id non liceat in abstracto dicere, ne in concreto quidẽ id fas esse. Certè qui subinde nobis obijciunt hominẽ Christum nomine tantum omnipotentẽ esse, nisi etiã humana natura sit omnipotens, Nestoriano more videtur eius hypostasin separatã ab hypostasi verbi considerare, ita enim verè locũ haberet id quod hic affirmant, sed cũ hoc falsum & impiũ sit, & humanitas ita in verbo subsistat & sustentetur, vt hoc ipsum quod homo est in verbo habeat, in quo & cum quo tantũ vnũ quiddam & singulũ est, atq; ita non nisi cũ verbo hominẽ hunc per-

sonam

ſonam eſſe & ſubſiſtere agnoſcamus, neceſſe eſt omnino verè & propriè de homine dici, quicquid vtriuſq; naturæ propriũ eſt, quãdo homo hic ſignificat perſonã quæ verè & propriè conſtat duabus naturis. Cum aũt de natura humana Chriſti loquimur, duplicem illi gloriã & maieſtatẽ attribuimus, vnã quidẽ quã habet vnionis gratia, quod cum filio Dei vna eſt perſona, & vna eademq; adoratione cũ verbo adoratur: Item quod in hac natura humana filius Dei humanũ genus redemit, & hanc in cœlos euectam ad dexterã patris collocauit. Hæc inquam ſunt huius naturæ inſignia quaſi priuilegia quæ ex vnione cum Verbo habet, atque hæc tanta eſt gloria vt eam verbis explicare ſatis non poſsimus, huc etiam pertinet quod quicquid de diuina natura dicitur, homini Chriſto attribuitur. Sed præterea ſunt aliæ prærogatiuæ humanæ naturæ, quas in ſe habet diuinitus illis donata & ornata, atq; ad hunc locũ pertinet illa gloria in quam humana Chriſti natura poſt reſurrectionem à mortuis & aſcenſionem in cœlos, ſupra omnes alias creaturas euecta & glorificata eſt: de hac diximus ita data eſſe omnia filio hominis vt interim humana natura nõ aboleatur. Certũ enim hoc eſt & pijs omnibus confeſſum, filiũ Dei in cœlis & ad patris dexteram ſedentẽ, humanã naturã ſemel aſſumptam integrã retinere. Neq; tamẽ propterea humanãnaturam ab omni participatione ꝓprietatũ Dei excludimꝰ;

Duplex gloria humanæ naturæ.

Quamuis enim proprietatum Dei, quę infinitę sunt, humana natura in se capax non existat, tamen quia cum filio Dei seu diuina natura personaliter vnita est, hæc habet eo modo quo ipsam diuinitatem, quod scilicet homo verè Deus omnipotens, omniscius est, omnibusq; Dei proprietatibus ornatus, non quidem in humanitatis suæ natura & essentia, sed in verbi natura & personæ suæ essentia.

Aduersarij utriusq; naturæ ueritatem labefactant.

Porrò qui diuinas proprietates reipsa in humanam naturam transfusas esse volunt, humanitatem Christi abolent; neq; enim verè est humana natura quæ suis proprietatibus omnibus spoliata contrarias in se suscepit, & infinita, incircumscripta, inuisibilis, & insensibilis facta & in diuinam naturam quodammodo transmutata est. Atq; cum nos damnat, qui scribimus humanam naturam ea gloria & maiestate ornatã quæ ipsam naturæ veritatem non corrumpit & abolet: necesse est vt contrariam sententiã probet, maiestatem talem datam humanæ naturæ quæ ipsam corrumpat & aboleat. Deinde hac doctrina vera diuinitas hominis Christi abnegatur: hactenus enim semper pij omnes crediderunt & confesi sunt, Christum hominem verè & natura Deum esse, propterea quod nõ alius, sed vnus & idem sit filius Dei & filius hominis. Itaq; qui nostra ętate Christum hominem non æterna Deitate Verbi, sed cõmunicata quadam Deitate Deum esse volunt, non tantum veteres hæreses renouant, verũ nouos Samosatenianos

qui in

qui in Vngaria & Polonia æternam filij Dei generationem & Deitatem impugnant, in suo errore confirmãt, atq; hoc dogmate Iesum Christum soluunt, & propterea Antichristi sunt.

Alterũ deinde est, quod in nostra de maiestate Christi confessione Iacobus Andeæ arguit, nos pugnantia scribere: hæc enim esse verba nostra, Non igitur nos negamus (vti immerito & iniustè insimulamur atq; accusamur) Christo omnem potestatẽ in cœlo & in terra datã esse, & ipsum iuxta vtranq; naturã mundũ gubernare, & nos redimere atq; iustificare, item carnẽ eius esse viuificatricem, & cũ verbo cui humana natura in vnã personam inseparabiliter vnita est, vna eademq; adoratione esse adorandã. Hæc enim omnia liberè & ex animo confitemur, quẽ admodum etiam orthodoxi Patres Christianæ ecclesiæ, à qua nullo pacto nos separamus, cuncta hæc ante nos cõfessi sunt, & scriptis suis confirmarũt, quos in hac causa sequimur, neq; quicquam ipsi innouamus aut ab alijs innouatũ approbamus. Ista igitur vult pugnare cũ eo quod supra scripsimus, filio hominis omnem diuinã gloriam & maiestatem & omnia in vniuersum data, quorũ humana natura absq; sui abolitione capax est. Hinc enim ait confici, humanã naturam omnipotentiæ Dei non esse capacẽ quæ infinita sit, & cum Deus omnipotentia sua cœlum & terram regat, hæc inter se pugnare, quod dicamus Christum secundũ vtranq; naturã cœlum

Non scribimus pugnantia.

et terrā regere, & humanam Christi naturā cum omnipotentia Dei nullā reipsa cōmunionem habere. Verum vt Christus secundū vtranq; naturam cœlū & terrā regat, nō necesse est vtranq; naturam in se omnipotentē esse, vt falso aduersarius ait, qui infinitam omnipotentiā Dei vult transfundi in humanam & finitam naturam, vt hoc modo cœlū & terram regat: sed satis est humanam naturā omnipotenti naturæ in eadē hypostasi cōiunctam esse. Dicimus itaq; Christū, hoc est, illam personā quæ verus Deus & verus homo simul est, omnibus rebus adesse, cœlumq; et terram regere, idq; secundum vtranq; naturā: filius enim dei post assumptā humanam naturā vbicunq; est & agit, vt Christus, hoc est, vt persona quę simul Deus & homo est, adest & agit: regit itaq; Christus mundum sua diuinitate vbiq; præsens non tantum efficacia & potentia, verū etiam essentia: agit autem hæc omnia sciente & cōsentiente humana seu assumpta natura, vt ita actio sit totius personæ: atq; hoc modo humana quoq; natura in gubernatione rerum singularū præsens adest, nō quidem substantia, sed potentia, virtute, efficientia, operatione atq; actu secundo. Hæc cum in scriptis nostris perspicue doceamus de humana Christi natura, iudicent pij & Christiani Lectores, an nostra doctrina secum pugnet, an verbotenus tantum Christū secundum vtranq; naturam mundū regere fateamur, & carnem eius viuificā esse atq; vna cum

Quomodo Christus secundum utranq; naturam mundum regat.

Verbo

Verbo adorandã, de quorũ altero ſupra ſcripſimus, alterũ tam perſpicuum eſt vt nõ egeat longa expoſitione. Si enim aduerſarius vult humanam naturã propter cõmunicatam deitaté in ſe adorandã eſſe, aut hominé cũ verbo adorandũ, Neſtorianus eſt. Sin agnoſcit vnũ eundéq; eſſe Chriſtum Deũ hominemq;, in qué credimus & in qué baptizati ſumus, & ideo eundé vna adoratione adorandũ eſſe, idem certè dicit quod & nos quoq; docemus: neq; hic exigitur trãsfuſio diuinarum proprietatũ in carné, ſed vnio cum diuinitate in eandem perſonam, quam ſi cõmunionis nomine intelligit, falſiſsimum eſt quod dicit nos docere humanam naturam nullã verè & reipſa cõmunioné habere cũ diuina natura.

Poſtremò rationem concordiæ ineundæ oſtendit; ſi enim fateamur Chriſtũ omnia regere ſecundũ vtranq; naturam, neceſſe eſſe ait vt illi quoq; tribuamus modum aliqué quo ſecũdum humanã naturam in gubernatione cœli et terræ præſens adſit, vnde etiam conficiatur in cœna ſimiliter preſenté eſſe in diſpenſatione corporis et ſanguinis ſui: non autem iuxta modũ & naturã humanorũ corporum Chriſtũ præſentem eſſe, ſed iuxta naturã dexteræ Dei, ad quam Chriſtus ſolus collocatus eſt ſecundũ humanam naturã, & in eam maieſtatem euectus vt cœlum & terrã impleat & omnibus creaturis præſens omnia gubernet: hanc inquit eſſe ſimplicem doctrinam Chriſtianæ fidei, cui qui contradicat, non eſſe verè Chriſtianũ hominé, hac auté doctrina

Ratio ineundæ concordiæ.

bene cognita facilem esse rationem controuersiæ de cœna Domini. Nos quoque fatemur, si in his rebus quæ propositæ sunt consentiamus, non difficulter in cæteris rebus consensionem aliquam statui posse. Quomodo autem gubernationem tribuamus Christo Deo hominique paulò ante expositum est: Similiter etiam qualem præsentiam agnoscamus. Cæterum aduersarij hactenus affirmarunt Christum secundum humanam naturam substantialiter, essentialiter, corporaliter præsentem esse, quam præsentiam nos impugnauimus & impugnamus. Cum enim Christi corpus etiam in gloria substantia sua finitum & circumscriptum sit, & ita substãtialiter & corporaliter in cœlo præsẽs existat, non potest idem corpus substantialiter vbique præsens esse, modus enim dexteræ Dei non efficit vt idem simul sit & non sit, verum sit & non verum sit: ac dextera Dei nõ hic alium modum præsentię facit, sed alia est causa præsentię. Similiter quod dicitur inuisibiliter & insensibiliter & ineffabili quodãmodo adesse, id quidẽ varietatẽ ostẽdit in eo quod adest, quàm diu tamen statuitur substantialis præsentia, modus non mutatur. Ac scio quidem viros bonos & doctos ita interpretari aduersariorum opinionem quod reipsa parum aut nihil à nobis dissentiant: cũ enim duo sint modi præsentiæ, primus substantialis, qua res aliqua in sua substantia præsens adest actu primo, & alter modus quo

Præsentia actus secundi.

quo res etiãsi sua substantia absens sit, nihilominus actu secundo hoc est, Virtute, efficientia & operatione præsens est: de hoc posteriore modo aduersarios loqui existimant, & hunc esse modum dexteræ Dei, quod scilicet humana natura ad dexteram Dei collocata, in eam maiestatem sit euecta vt vnà cum Verbo omnia gubernet, non ipsa quidem sua substantia omnibus præsens, sed efficientia & operatione, quod Verbum incarnatum omnia regit volente & cõsentiente humana natura. Nam alioquin inquiũt si humana natura simul actu primo & secũdo, siue substantia & operatione vbiq; presens esset, tum & humanæ naturæ veritas tolleretur, & illa exæquaretur diuinitati, quæ substantia & potentia sua vbique est. Si enim dicatur diuinam naturam hæc ex se habere, humanitati autẽ hãc maiestatem cõmunicatam esse, modus præsentiæ non mutatur hoc ipso à se aut aliunde habere: nisi igitur ostendãt alium aliquem modum, omnino similem faciunt præsentiam diuinitatis atque humanitatis, atque ita naturas confundunt. Cum autem aduersarij constanter negent se humanitatem ita vbique præsentem facere vt diuinitas vbique est, existimant viri boni eos tantum per modum dexteræ actus secundi præsentiam Christi humanitati tribuere, idque eò magis quod noua loquendi forma à Scholasticis sumpta, corpus Christi personaliter vbique esse aiunt: quam quidam ita interpretantur, hu

manam naturam vbique esse personaliter, quia ea non in se subsistit sed in Verbo, illa auté persona à qua sustentatur & cuius est pars quædã, vbique præsens est. Quod si aduersarij in hunc modum sentirent, non difficilis esset ratio concordiæ alicuius ineundæ, ac tum reiecta opinione substantialis & corporalis præsentiæ carnis Christi in cœna, inter homines pietatis & gloriæ Christi studiosos & à contentione alienos, facilè conueniret de simplici, vero ac proprio sensu verborum Christi, sed hactenus aduersarij iactarunt se retinere ac defendere sententiã Lutheri: Lutherus autem hanc sententiam probauit, pané & vinum quę in altari ponuntur, post consecrationem non solũ sacramentũ sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse, & sensualiter non solum in sacramento sed in veritate manibus sacerdotũ tractari frangi & fideliũ dentibus atteri. Hęc enim est Romanæ Ecclesiæ sentẽtia, quam Lutherus nõ semel in suis scriptis & in illa breui confessione quam paulò ante obitum edidit, approbauit. Præterea quis nescit Lutherum subinde docuisse, pané substãtialiter esse corpus Christi? Item, Verũ & naturale corpus Christi in, cũ & sub pane naturaliter, & substantialiter, realiter, corporaliter, ineffabiliter tamẽ & insensibiliter, inuisibiliter, & supernaturaliter pręsens esse, & manu ministri porrigi, ac manducari non tantum spiritualiter verum etiam oraliter & corporaliter,

Lutheri interpretatio.

&

& nescio quo non modo? nunquam enim illis in hac re aduerbiorum copia deest. Quam diu igitur aduersarij hæc retinent & approbant, frustra gloriantur & falso iactant se simplicem sensum verborum Christi in cœna retinere, ac verè & constanter de illis affirmabimus bona conscientia, ipsos humanis additionibus implicare negotiũ cœnæ Domini. Verè etiã produnt se spiritu mendacij duci, quãdo tam impudenter negant ea quorum proprijs scriptis cõuincuntur.

Quod si diuersitas interpretationũ argumento est, eos qui ita sentiunt, errare, neque verã & certam sententiã tenere, necesse est vt seipsos dãnent: cuiuis enim manifestum est non pugnare has interpretationes, panem esse figurã aut symbolum corporis Christi, aut panem significare corpus Christi, verborũ enim varietas & diuersitas non statim parit sententiarum dissonantiã cum vna & eadem sententia alijs atque alijs verbis exponi possit. Nos autem manifestè ostendimus Lutherũ contrarias interpretationes afferre, probat enim alibi pontificiorum sententiã, quibus tamẽ panis iã panis esse desijt & in corporis substantiã cõuersus est: rursus cõtendit panẽ hũc reuera & substãtialiter panẽ simul & substãtialiter corpus Christi esse, Itẽ corpus Christi esse sub pane, itẽ corp⁹ Christi in pane cõtineri. Idẽ Luth. docuit Christũ ratione gloriosi corporis in cœna definitiuè & corporaliter adesse, sed idipsũ Iac. And. negat, et fatetur Christũ ratione

Contrariæ interpretationes.

gloriosi corporis in cœlis tantum esse. Praeterea Lutherus ita interpretatur verba Christi, quod vi verborum & institutionis Christi adsit substantia corporis Christi quæ ante in pane non fuerit, & vt ita corpus per verbum aduehatur quodam modo in panem, contra Vbiquistæ contendũt corpus Christi ante etiam adesse, sed tamen in pane cœnæ certa quadam ratione dispensari, Lutherus in verbis cœnæ demonstrationem Hoc, ad panem & poculum refert, vt de pane dicatur, esse corpus Christi: & hæc sit explicatio verborum Domini: Hic panis est corpus meũ, contra Vbiquistæ hoc pertinaciter negarunt in colloquio Mulbrunensi. Schegkius vult præsentiam corporis definiri in sacramento his verbis: Hoc est corpus meũ quod pro vobis traditur: & ait somniare eos qui volunt corpus absolutũ de pane prædicari, cum id intelligendum sit ratione additi prædicati, Quod pro uobis traditur. Contra Flaccius docet his verbis, Hoc est corpus meum, absolutam substantiam sacrati describi, addita auté prædicatione, quod pro vobis traditur, vsum eius indicari. Rursus Lutherus & pleriq; qui eum sequuti sunt, contendunt nullum prorsus tropum in verbis cœnæ admittendum esse. Contra Iacobus Andreæ agnoscit in his verbis esse synechdochen. Cum igitur tàm varia affirment aduersarij & tàm diuersas interpretationes verborum Christi proferant, quæ sese mutuò euertunt, verè hoc ipsorum

Pag. 107.

rum auditoribus accidit vt magis incerti ex eorum concionibus diſcedant, quam venerint, præſertim cum docendo & ſcribendo non tam ſuam ſententiam rationibus confirment, quàm ſeſe conuitiando & maledicendo aduerſarijs ad rabiem vſque oblectent. Itaque verus & ſalutaris vſus huius Sacramenti apud vulgus hominum paulatim in obliuionem venit, & ſenſim Papiſticæ opiniones animis hominum inſeruntur, ita vt exiſtiment ſe perceptione huius Sacramenti, & illa orali manducatione corporis Chriſti, quam ſibi perſuaſerunt, etiam abſq; fide ſolida & vera pœnitentia remiſsionem peccatorum & ſalutem adipiſci. N. B.

CAPVT XI.

Concluſio huius controuerſiæ de perſonali vnione diuinæ & humanæ naturæ in vna indiuiſaq; Chriſti perſona.

HOc caput etſi prorſus nullã merebatur reſponſionem, tamen ne quid forte diſsimulare videremur, noluimus id prorſus intactum præterire. Concluſeramus hoc loco noſtram confeſsionẽ de perſonali vnione decreto Chalcedonenſis Concilij, ac proteſtati eramus nos ex animo profiteri cuncta quæ hoc decreto continentur, idque non in falſo & peregrino ſenſu, ſed vt verba ſonant, & vt illa interpretati ſunt

B. Vigilius & Theodoretus, qui etiam ipse Concilio magna cum laude interfuit. At Iacobus Andreæ nos inquit retinere quidem verba Concilij; sed illis alienum sensum affingere, id hinc constare quod doceamus humanam Christi naturam cum maiestate & proprietatibus diuinæ naturæ nullam communionem habere, vbi autem nulla est communio, ibi nõ posse vnam personam esse, quemadmodum Concilium docet. Sed hoc argumentum siue potius calumniam sæpe refutauimus. Et si communionis nomine intelligit realem communicationem & transfusionem proprietatum, satis aperte demonstratum est hanc non constituere vnionem personalem: & dicat de hac communione quicquid velit, nunquam poterit neque ex huius concilij, neque ex aliorum Veterum, multo minus ex scripturarum sententia ostendere, aliam esse communionem proprietatum quàm naturarum. Sicut igitur duæ naturæ eam communionem habent (vt ipsius more loquamur) quod ineffabili & insolubili vinculo in vnam personam coniunctæ sunt, vt neutra per se separatim subsistat, sed ambæ vnum quiddam & singulum sint, vna persona quæ vere est simul Deus & homo: ita etiam similis est proprietatum communio, quæ non fit transfusione sed copulatione in eandem personam: ita vt proprietates in suis naturis distinctæ quidem maneant, omnes tamen verè & proprie de hac

Vera communic proprietatum.

persona

persona prædicentur. Sicut etiam in homine anima ratiocinatur & numerat, corpus videtur, tangitur, vulneratur, & tamen vtrunque de homine dicitur qui animo simul & corpore constat, de anima autem non dicitur eam videri aut tangi aut vulnerari, neque de corpore id sapere, ratiocinari, numerare: ac interim manet vera vnio animæ & corporis quamuis quod vnius est, de altero non dicatur. Sed si iuxta aduersarij sententiam ea est communio, vt quæ vni naturæ propria sunt absque vlla figura de altera dicantur, tum dicendum erit animam mori, quando corpus moritur: & corpus inuisibile esse, quia anima nõ cernitur: quod quam absurdum & à sana ratione dissentaneum sit, omnes facile animaduertunt. Itaque cum constituamus veram & personalem vnionem diuinæ & humanæ naturæ in Christo, qua diuinitas & humanitas in vnam hypostasin conuenerunt, seruata vtriusque naturæ proprietate, sicut etiam anima & corpus vnum hominem faciunt, retinemus vtriq; veram & genuinam Chalcedonensis Concilij sententiam. An autem aduersarij eandem retineant & naturas verè distinguant, qui transfusione proprietatum diuinitatis humanam naturam illi exæquant, id iudicio pij Lectoris relinquimus. Et hinc quoq; apparet quã syncerè & ex animo cupiant veram & simplicem sententiam huius Concilij retinere, quod

Theodoretum virum ſanctum & abſque controuerſia doctiſſimum qui huic concilio interfuit, & illius ſententiam in ſcriptis ſuis diligenter explicuit, non verentur Neſtorianum, hoc eſt, hæreticum nominare, ac ſimili petulantia Vigilium Martyrem, qui eiuſdem concilij ſententiam contra hæreticos publico ſcripto defendit, per contumeliam Dormiliū nominant. Nos autem Dei beneficio tam à ſeparatione naturarum & perſonæ diuiſione, quam ab abnegatione Chriſti longiſſimè abſumus, ac multò longius, quam ipſi à Neſtoriana ſeparatione naturarum, & ab Eutychiana proprietatum confuſione abſint.

Maieſtas Chriſti.

Cæterum quod in reſponſione ad Brentianum Teſtamentum pios lectores monuimus, denuò hic repetendum putamus, ne nomine diuinæ maieſtatis quod falſò tribuunt Vbiquitati, ſibi oculos perſtringi patiantur. Nam ſcripturæ ſanctæ & orthodoxorum patrum teſtimonijs conſtat, corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti etiam in gloria non eſſe vbique. Hæc enim eſt vna inter præcipuas differentias naturarū, quas concilium Chalcedonenſe integras ſeruari vult, quod diuina Chriſti natura vbique eſt, humana autem finita & loco circumſcripta, vt Vigilius & Theodoretus diſertè docēt. Aduerſarij verò quaſi nulla alia maieſtas ſit hominis Chriſti, & Veteres maieſtatem Chriſti hactenus ignorarint & prædicare neglexerint, Vbiquitatem corporis

poris Christi nomine maiestatis ornant, vt quisquis nouo huic ipsorum dogmati contradixerit, maiestatem Christi oppugnare videatur. Interim dum hanc suam maiestatem asserunt, veram hominis Christi maiestatem qui natura Deus est, & simul etiam carnis eius veritatem nouo hoc suo dogmate obscurant & labefactant.

CAPVT XII.

De Arrianis & homicidij atque mendacij spiritu.

CVm initio certaminis sacramentarij Lutherus vbiquitaté corporis Christi asserere cœpisset, mox Zuinglius qui videret quorsũ hæc tenderent, Lutherum grauiter monuit ne talia asserendo Martioniticam hæresim renouet. Si inquit in hac tua sententia contumacius "
perseuerando illud asserere perrexeris; quod ni- "
mirum Christi Iesu humanitas essentialiter & "
corporaliter præsens sit, vbicunque diuinitas "
fuerit, eo loci Deo volente te redigemus, vt vel "
vniuersam noui Testamenti scripturam nega- "
re cogaris, vel Martionis hæresim agnoscere. "
Hoc inquã bona fide nos præstituros esse pol- "
licemur. Sed meliora de te speramus Luthere: "
quod nimirum infirmitatem tuam agniturus "
sis, & omne illud deserturus, quod nimio conteñ

" tionis æstu inflammatus commisisti, dum tanta
" cum incommoditate de humana Christi natu-
" ra disserere non es veritus. Ac Lutherus breui postea reipsa edoctus est quo tendat Vbiquitatis assertio, quando videt Schuenckfeldiū eandem vbiquitatem asserendo Eutychianā doctrinam ab inferis reuocare: ideoq; fere nullā deinceps vbiquitatis mentionem fecit. Posteà tamē Brentius & qui eum secuti sunt, non tantū publice vbiquitatem corporis Christi docuerunt, sed candē, excogitata reali cōmunicatione proprietatum, qua humana natura exæquatur diuinitati, comprobare conati sunt. Postquàm vero complures viri pij & docti, & celeberrimæ Academiæ Heidelbergensis & Vuittembergensis, atque ex papisticis Ingolstadiensis publicis scriptis demonstrarunt Nestorianam & Eutychianam, & multas prætereà alias hæreses ipsorum nouo dogmate confirmari & renouari, grauiter hac accusatione commoti se quidem purgare ab hoc crimine conati sunt, priora sua scripta commoda interpretatione excusantes, sed quia tam multa adeò clarè contra veteris ecclesiæ doctrinam asseruerant, eandem accusationem alij nihilominus vrgere cœperunt, & eos pro damnatis habere nisi publicè retractarent hæreses quas ante asseruerant: id homines ambitiosi ferre non potuerunt, quare vt se aliquo modo vlciscerentur vicissim aduersarios suos Arianismi & Machometanismi publicè magna acerbitate

damnare

damnare cœperunt; quo iure autem & quam vere id faciant mox viderimus.

Postquã igitur Doctor noster Arij & Nestorij sententiã exposuit, obiter sane & frigide, deinde infert: Quæro inquit à vobis Tigurini, & ,, in vniuersũ ob omnibus Zuinglianis, Si Deus ,, cum omni quod est, in sua natura & proprietati ,, bus, cũ assumpta humana natura nullo modo ,, reipsa & vere quiquam commune, sed prorsus ,, omnia ab humana natura sęparatim habet, ni- ,, si quod naturę inter se copulatæ sunt, quomodo ,, vere aliter loqui potestis quam Nestorius locu- ,, tus est? Equidem fateremur nos conuictos esse & reos, si ea assereremus quę nobis tribuit, sed nos omnẽ cõmunionem negare & sęparationem vel naturarum vel proprietatum statuere adeo manifeste falsum est, vt tam impudentem calumniam refellere nos quodãmodo pudeat, quam tot publica scripta nostra mendacij arguunt. Quod si non aliunde tamen ex Vigilij verbis quæ ipsorum reali transfusioni proprietatum diuinitatis in humanitatem opposuimus, satis illi constare poterat nos nequaquam ea dicere quæ falsò nobis tribuit. Sunt autem hæc Vigilij verba, quæ denuò hic apposuimus ex eiusdem secundo libro. Quia enim " Verbum cũ carne ita est inexplicabili modo v- " nitũ, vt ipsũ Verbũ caro dicatur, licet Deus nõ " fit caro, quia non est in carnẽ mutatũ, & vt caro "

Non negamus omnẽ cõmunionẽ proprietatum.

dicatur Deus, licet non ſit in Deitatis naturam mutata, ſed Verbum propter carnem ſuam homo ſit: & caro propter Verbum Deus ſit, & quicquid eſt proprium Verbi, ſit commune cum carne, & quicquid eſt proprium carnis, ſit commune cum verbo, quomodo verbum & caro vnus eſt Chriſtus & vna perſona. Idcirco propter hãc communionem, quam ſalua naturarum proprietate perſonæ vnio præſtat, & Verbum cũ carne, id eſt Filius hominis legitur deſcendiſſe de cœlo, cum ſolum Verbum ſine carne deſcenderit, & Deus legitur ſepultus, & in monumento tribus iacuiſſe diebus, cùm ſola caro ſepulta eſt.

nō Transfusione reali, sz vnione psonali pag. 115.

Non facimus duos Christos.

Porrò quod ſubijcit nos Neſtoriano more duos Chriſtos facere, vnum Deum, qui cum humana natura nihil commune habeat, niſi quod ineffabili vinculo huic vnitus ſit: alterum hominem maiori poteſtate & gloria præ cæteris ſanctis ornatum, ſed qui cum diuina maieſtate nihil commune habeat, ac ſicubi hæc illi tribuatur, id verbis tantum fieri per Allœoſim, hoc inquam eadem fide qua alia de nobis aſſerit, nos enim Dei beneficio ab hac impietate tam abſumus quam Iacobus Andreæ à veritate: ac niſi ex noſtris ſcriptis hæc probarit, nos apertè ipſum coram vniuerſa eccleſia calumniæ & mendacij ſpiritu agi aſſeremus. Nos nunquam alium Chriſtum Deum, aut Dei filium, & alium hominem & hominis filium docuimus: ſed vnum

num & eundem Deum hominemque prædicamus, & eum qui homo eſt omnia quæ Dei ſunt, & eum qui Deus eſt omnia quæ hominis ſunt habere docemus: Naturas quidẽ diſtinguimus, vnicuique ſecundum ſcripturas & veteris eccleſiæ doctrinam tribuendo quod ſuum eſt, at propterea vnionem perſonæ non diuellimus, ſed ſcimus vere & proprie de perſona dici quæ ſunt propria vtrique naturæ. Vtitur autem impoſtura, quod quæ nos de humanitate Chriſti dicimus, fingit nos de homine Chriſto docere: humanitatem negamus omnipotentem, hominem vero Chriſtum omnipotentem conſtanter credimus: & quæ ſit differentia harum prædicationum in concreto & in abſtracto ſæpe oſtendimus. Imò ſi de ipſa humanitate loquamur, communicationem quidem talem quæ fiat reali tranſfuſione proprietatum diuinæ naturæ in humanam negamus, interim quicquid eſt proprium verbi credimus commune cum carne, ea communione quam vnio perſonæ præſtat, ſicuti modo verbis Vigilij expoſuimus. Pag. 111.

Quoniam vero tantopere cupit nos Neſtorianiſmi damnare: age oſtendamus illi qui nam ætate noſtra Neſtorij hæreſim renouent. Neſtoriani erroris ſumma eſt, quod naturas in Chriſto in duas ſubſiſtentias, & perſonas, & filios ſeparauit, quas voluit coniunctas eſſe ſecundum authoritatẽ, habitũ, æquiuocationẽ, honoris æqualitatem. Ac à Maxentio dãnatur Neſtoria- Aduerſarios noſtros eſſe Neſtorianos. Dial. 2.

num dogma, talis cóiunctio seu vnio qua alter
" in altero, Deus in homine inhabitare dicitur: At
Recog. pagina 40.41 " Brentius scribit, filium Dei assumpsisse filiũ hominis in vnam personam, vt eũ ita impleat vt
" cõmunicet cum eo omné suam potentiam, sa-
" pientiam, scientiam, felicitatem & præsentiam.
Recog. pagina 17. Item Filium Mariæ & Filium Dei, qui est in filio Mariæ duas fieri personas, si humanitas non
Recog. pagina 43. " vbiq; sit vbi est diuinitas. Est auté summa Brentianæ doctrinæ, eandem esse inhabitationé Filij
" Dei in Filio hominis, quæ est in cæteris sanctis,
" sed hoc solùm differre, quod alijs certa tantũ &
" finita dona, huic auté omnem suam potentiam
cõmunicet. Hæc autem sententia vt Nestoriana damnatur à Cyrillo Anathematismo V. Similiter damnat Cyrillus Anathematismo IX. Nestorij sententiã, quod Christus homo aliena virtute spiritus sancti glorificatus sit & miracula fece-
Recog. pagina 47. rit: & tamen idem docet Brentius. De miraculis enim quæ D. Petrus fecit, sic scribit: Edidit hæc
" miracula potentia diuina, eaq; non longè absen-
" ti, sed omninò præsenti. Non igitur ne hac qui-
" dem ratione discrimẽ est inter Christũ & Petrũ.
" Item de resurrectione: Dicis Christus resurrexit
" à morte, sua ipsius virtute, Petrus autem aliena.
" Imò sicut Christus excitatus est diuina virtute,
" eaq; non absenti, sed omnino præsenti, nec mi-
" nus ipsi quàm Christo intimè præsenti, eaq; to-
" ta præsenti, quod vbicunq; est diuinitas, ibi sit
" tota. Quare ne hac quidem ratione dici potest,

quod

quod Christus non autem Petrus sit Deus. Ex- „
pendant item Lectores pij an non cum Nesto-
riano errore consentiat, quod duplicẽ Deitatem
in Christo statuunt: de quo mox plura scribe-
mus. Nolumus singula excutere, sed hæc simpli
citer pijs iudicanda proponimus, à quibus hæc
quoq; obseruari & expendi cupimus, quod vbi
que in suis scriptis Vbiquistę concreta & abstra
cta nomina indifferenter vsurpant, vnde plerun
que prorsus Nestoriano more loquuntur, ac il-
lis humanitas & homo quatenus partem quan
dam Christi significãt, sunt synonyma idem ali
quid significantia, quæ fuit Nestorij opinio, vt
etiam Schegkius contra Simoniũ testatur: qua
re prorsus Nestorianum est, quod tamen toties
repetit Brentius, hominem aut filium hominis
assumptum à Filio Dei in suam ipsius personã;
item quod D. Andreas scribit, filium Dei cõmu
nicasse filio hominis quem in vnitatẽ personæ
assumpsit infinitam suam potentiã: item homi
nem Christũ parem cum filio Dei maiestatẽ ha
bere, &c. Contra theses Ingolstadiensium.

De maiesta te pag. 81. 87. & 88.

Altera accusatio quod Machometanismo vi-
am sternamus ex priore dependet, quare cum il
la abunde confutata sit, non est quod in hac re-
fellenda laboremus, præsertim cum id iam præ-
stiterit collega & Pater noster honorandus D.
Bullingerus. Cæterum iudicio aliorũ relinqui-
mus æstimandum, quonam spiritu ducatur D.
Andreas, qui Alcorani verba tã benignè inter-

Andreas Alcoranũ excusat, & nos dãnat.

pretatur, & cum ille absurda opinione in Deo fingat animam, quæ illi aliud quid est ab essentia Dei, Doctor noster ex eo diuinitatē Christi astruit, quam tamen ibidem Alcoranus negat. Azoara enim quinta, è qua posterius testimonium Doctor noster protulit, eos falsarios vocat qui Christum Deum & adorandum asserunt, quod alibi etiam affirmatur. Animā quoque datam Christo Deus ad se reducturum se ait vsq; ad diem publicæ resurrectionis. Sed hæc Doctor Andreas excusat, & Alcorano tribuit quod Christum Deum asserat, nos autem qui Christi veram & æternam Deitatem prædicamus, & contra nouos Arrianos & Samosatenianos viua voce & scriptis defendimus, coram ecclesia impudentissimè calumniatur, quod Filiū Mariæ Deum esse negemus, quod est falsissimum: sed quia hominem Christum natura Deum & verum Deum prædicamus, neque alium sed vnum & eundem Dei & Mariæ filium credimus, ideoque nullam homini Deitatem communicatam tribuimus, quæ sit plenitudo donorum alia ab essentiali deitate Verbi, qualem illi tribuit Andreas, qualē etiam fingunt qui nunc in Transyluania Machumetanismo viam præparant, ob hanc causam Machumetanismi immerito ab ipso damnamur, sed iudicet Dominus inter nos & ipsum.

Posthęc distinctione spiritus & personę Brentianam accusationem mitigare conatur, eum nanq;

tanque de ſpiritu noſtro locutum eſſe, qui huc ſpectet vt Arrianiſmum renouet, idq́; olim Lutherum de nobis prædixiſſe. Verum Luthero tum temporis Zuinglius & Oecolampadius reſponderunt, neq; ille hic quicquam vaticinatus eſt, ſed metuere ſe dixit ne hac interpretatione verborum Chriſti admiſſa, quod panis ſit figura corporis Chriſti, ea quæ de Chriſto dicuntur alij detorqueant & figuram eſſe interpretentur: quem eius metum inanem eſſe hi quos modo nominauimus oſtenderunt: neque enim ſi Sacramenta iuxta eorum naturam, & fidei analogiam, collatione aliorum locorum adhibita ſic interpretamur, inde ſequitur quemuis locum vbi nullus tropus eſt, & analogia fidei repugnat, ſic interpretandum eſſe. Atque ſi in cœnæ verbis non eſt concedendus tropus, ne alij ea quæ de Chriſti diuinitate ſcribuntur tropice interpretentur, tum nullus prorſum tropus admittendus erit in ſacris literis, quandoquidem vno tropo conceſſo alibi, idem periculum erit; quam autem abſurda ſit hæc ſententia, norunt qui vel mediocriter in interpretatione ſcripturæ verſati ſunt. Quod autem noſtra ætate quidam negarunt diuinitatem Chriſti, falſam cauſam profert D. Andreas noſtram de Communicatione idiomatum doctrinam, imò Seruetus, Gribaldus, Gentilis, Goneſius, Blandrata, Franciſcus Dauidis, & alij huius factionis duces doctrinam de Communicatione idioma-

Antitrinitariis uiam sternit Andreas.

tum odio prosequuntur, & in suis scriptis detestantur, neque nobiscum sed cum Iacobo Andrea verbis & re consentiunt, hominem Christum esse & nominari Deũ, nó quia Deus sit in ipso, sed propter plenitudinem diuinitatis, hoc est, plenaria Dei dona quæ fidelibus ex parte tãtum dantur, huic autẽ homini omnia data sunt. Quoniam vero moris est D. Andreę ea quæ publice affirmauit rursus absque omni pudore negare, apponam hic Brentij & ipsius verba de Hominis Christi diuinitate. Sic igitur scribit Brentius in libro de Maiestate Christi pag. 91.

"Voco autem in præsentia (sicut & suis locis supra) diuinitatem Christi, non eam quam filius Dei in se ab æterno habuit, sed quã tempore incarnationis filio hominis cõmunicauit, seu vt Augustini verbo vtar, participauit. Alia enim est diuinitas cõmunicans seu participans, alia cõmunicata seu participata, sicut alius est donator, aliud donũ ipsum. Iacobus autem Andreæ.

Contra theses Ingolst. pag. 40.

Nunquam (inquit) diximus, nunquam scripsimus, nunquam credidimus, Maiestatem cõmunicatam homini esse idioma Dei, id est οὐσίαν subsistentię Verbi. Item cõmemoratis locis aliquot scripturę Matth. 28. Ioan. 3. Psal. 110. Eph. 1. Heb. 2. Col. 2. subijcit. Hæc cum sint testimonia illustria quæ docent, cur homo Christus dicatur Deus, nó quia Deus sit in ipso (qui in omnibus creaturis est non modo natura, sed etiã secundũ subsistentias, sicut supra demonstratum est) sed

Pag. 25.

quia

quia in assumptione carnis dedit huic homini omnem potestatem in cœlo & in terra, ornauit eum omniscientia & sapientia, communicauit ei omnia dona spiritus sancti, collocauit eum super omnem principatum, dedit ei nomen super omne nomen, quod nomen est Dei nomen. Et hoc est hominem quoq; esse Deum. Nam de æterna diuinitate filij, qua in se est, hic nihil disputamus, &c. Brentius in Recog. pag. 47. super verba Pauli Col. 2. Et addit corporaliter, hoc est non vmbratiliter sicut in alijs creaturis. Nulla enim est creatura tam abiecta, cui non communicetur aliquid Deitatis, & in qua Deus non adumbret quippiam suæ maiestatis & proprietatis: In homine autem Christo non adumbratur aliqua tantum pars Deitatis, sed Deitas absoluitur in eo perfectißimè, hoc est, communicatur ei omni sua plenitudine, &c. Idem libro de Maiestate in explicatione verborum Pauli Philippen. secundo, inter alia sic scribit: Ostendimus supra quod etsi aliquoties vocabulum formæ accipitur pro rei essentia, & Christus est secundum spiritum sanctificationis (sicut Paulus Roman. 1. loquitur) verus ab æterno Deus, tamen in hoc Pauli loco vocabulum formæ Dei accipiendum sit pro proprietatibus, conditionibus, & ornamentis deitatis, quibus filius hominis, quem filius Dei in vnam personã assumpsit, propter personalẽ vnionẽ decoratus est, Homo igitur Christus habuit ab initio incar- Pag. 80. 81

Hæresis Discal. Schwenckfeld. & Ariij.

Ergone omnes sunt aliquo modo Deus et Chri.?

Schwenckfeld.

nationis hanc participatam ſibi diuinitatẽ (vt Auguſtinus loquitur) aut æqualitatem Dei (quemadmodum Paulus ait) vt eſſet vere omnipotens, omniſapiens, omnijuſtus, & omnipræſens. Hoc enim eſt hominem eſſe Deo æqualem. Iacobus autem Andreæ. Diſputat (inquit) eo loco Apoſtolus de donis, quibus alij alijs præferebantur, & præſtare exiſtimabantur: quorum arrogantiæ hominis Chriſti exemplum opponit, cui non quædam dona ad menſuram data ſunt, ſed ſine menſura, hoc eſt, immenſa & infinita: propter quam immenſitatem & infinitatem donorum Deo ſit factus æqualis. Item pag. 22. Datus eſt ergo homini Chriſto, ſiue Chriſto ſecundum humanitatem, & nõ ad menſuram, id eſt, non dimenſus, ergo immenſus & & infinitus, ita ut Chriſtus homo ſiue ſecundum humanitatem, infinitam potentiam, ſapientiam, iuſtitiam, ſanctitatem & præſentiam infinitam habeat: hoc enim eſt dari ſpiritum non ad menſuram. Et hæc eſt plenitudo Deitatis, ideſt, donum ſpiritus non ad menſuram, non ipſa natura aut ſubſtantia ſpiritus ſancti, aut λόγου, ſed donum inquam, homini Chriſto collatum. Item pag. 25. Et vt vno verbo dicam, cum hominem Deum eſſe dicimus, nihil aliud per hoc intelligimus, quam quod homo ad dexteram Dei ſedeat, quod ſedere ad dexteram eſt hominis diuinitas, quæ aliâs nulli creaturæ contingit. Plura in hanc ſententiam & alibi

Cont. theſes Ingolſtad. pag. 29.

Brentius

Brentius scribit, & in actis Mulbrunensis colloquij leguntur. Cum his conferantur quæ noui Samosateniani scribunt in libello ad Comitem Gasparum Bekes, De mediatoris Iesu Christi hominis diuinitate æqualitateque: qui editus est Albæ Iuliæ 1568. Ac primum quidem ingenue fatemur eos in hoc ab Vbiquitarijs dissentire, quod vnam tantum in Christo naturam agnoscunt. In eo tamen conueniunt quod docent hominem effusione donorum fieri Deum. Nam quia scripturæ Christum (quem ipsi hominem tantum natura agnoscunt) Deum esse testantur, in eo laborant vt asserant hominis diuinitatem, siue hominem Deum factum esse, & ad hoc probandum, septem rationes adferunt. 1. Ideo Deum esse quod sit & dicatur proprius Dei filius, conceptus vtpote de spiritu Dei in vtero Virginis, & per eundem spiritũ declaratus Filius Dei & Deus. 2. Eundem Christum hominem Deum esse censemus, quia dedit illi Deus nomen quod est super omne nomen, id est, nomẽ Dei saluatoris. 3. Dicimus ob id Christum hominem Deum esse, quod omnis plenitudo diuinitatis in illo corporaliter inhabitat. 4. Quia data illi fuit à Deo omnis potestas in cœlo & in terra. Quis vero Christum factum esse omnipotentem negabit? 5. Quia Deus vnctus dicitur, & Spiritum Dei accepit absque mensura, constitutusque fuit in regem regum, in dominum dominantium, in

Samosateniorum uerba.

„ ſacerdotem vnicum ac pontificem, quæ prærogatiuæ alteri nemini competunt. 6. Quia Deus eundem ab angelis adorari voluit, & vt illi omne genu flecteretur. 7. Ideo Deum eſſe credimus, quod ſoli homini Chriſto datum ſit vt habeat vitam in ſemetipſo, & vt quicquid facit pater ipſe ſimiliter faciat. In eodem libello cap. 7. Hanc Pauli mentem fuiſſe cenſemus (Philip.2) quod Chriſtus cum eſſet in forma Dei, id eſt omnia regens verbo virtutis ſuæ, & paterna poteſtate donatus, omnium dominus, & expreſſa Dei patris imago factus, non eſt arbitratus rapinam ſe eſſe in ſublimi illa Dei forma, ſed ea, & omni poteſtate quam habebat ſpoliatus, formā ſerui induere voluiſſe. Quia vero idē eſt dicere Paulo, eſſe in forma Dei & æqualem Deo, veluti & Heb.1. eſſe characterē & expreſſam ſubſtantiæ patris imaginē, ideo voluit & æqualitatis mentionem hic facere, rem totā diſertius declaraturus. Nā ſi nulla ratione Chriſtus æqualis eſſe potuiſſet, quomodo eundē in forma Dei, & vere humiliatum fuiſſe diceremus? Ideo enim proprie dicitur humiliatus, quia erat ad æqualitatē exaltatus, & in Dei forma conſtitutus, Hic omittimus illorum ſomnia qui dicunt, etiamſi Chriſtus ſe humiliare noluiſſet, quod rapinæ nota quoq; caruiſſet, cū eſſet natura Deus ſicut pater: Paulus enim non de inuiſibili aliquo filio Dei æterno, qui verè humiliari nulla ratione potuit (iuxta Sophiſtarū deliria)

liria) ſed de homine Chriſto loquebatur, de quo ait, Qui cum eſſet in forma Dei, & æqualis potentiæ efficacia, id eſt cum eſſet ad dexteram patris euectus, noluit illa abuti maieſtate & potẽtia, ſed ad viliſſimi hominis ſpeciem ſe demiſit, vt patris ſui gloriam mandatis ipſius obediẽdo celebraret, &c. Item Franciſcus Dauidis in libro contra Petrum Carolinum. Vocabulũ corpus, inquit, opponitur vmbris veteris teſtamenti, in quibus ex parte ac ſub vmbris virtus Deitatis ſplenduit & emicuit: & explicatur ad Hebręos 10. quod ſignificet non in parabolis vel exẽplis ſed reipſa. Plenitudo deitatis accipitur pro donis diuinis quibus Chriſtus exædificatus eſt ſine defectu, vt omnes nos ex ipſius ſapientia participaremus & impleremur: ſignificat plenaria Dei dona quæ ex parte etiam fidelibus dantur: Idem in diſputatione Albana. Non eſt mirum ſi Chriſtus Dei filius tantopere excellat, quia ita viſum eſt Deo patri, vt omnis plenitudo in eo inhabitaret, & per plenitudinem procul dubio omnium diuinarum virtutum cumulum intellexit. Item Matthæus Gribaldus in epiſtola de Deo & Dei filio: Vnde prodijt illa farrago loquendi per communicationem idiomatum niſi ex impia & ſophiſtica illa ſcholaſticorum academia? Quid enim aliud eſt per communicationem idiomatũ loqui, quam impropriè & abuſiuè, vt quod vni propriè conuenit alteri impropriè tribuat? &c. Atq; hęc quidem

Franciſcus Dauidis.

ſunt Antitrinitariorum & nouorum Samoſatẽnianorum verba, cum quibus ſi quæ ante ex Brentio & Iacobo Andrea adſcripſimus conferantur, facile apparebit, quinam Arianiſmo & Machometanæ impietati quæ diuinitatem Chriſti negat, viam ſternant. Etſi enim Vbiquitarij à Samoſatenianis in eo differunt quod Verbum ſubſtantiale carnem aſſumpſiſſe fatentur, attamen cum cõmunicationem idiomatum tollant, & doceant humanitatem effuſione donorum ſpiritus ſancti, quæ dona ſint forma Dei & plenitudo deitatis, ita ornatam, vt Chriſtus homo propterea ſecundum humanitatem Deus & Deo æqualis ſit communicata quadam deitate, & ſcripturas hoc modo interpretentur de Deitate humanitati communicata quæ alia ſit ab æterna diuinitate Verbi, hac ſua doctrina, fundamenta iaciunt quibus impiam ſuam doctrinam Antitrinitarij ſuperſtruũt: Quare non eſt quod nos accuſent, & culpam Arianiſmi in nos transferant, cum ipſi tam ſuauiter cum illis colludant.

Et quamuis aliqui ex noſtris eccleſijs egreſſi ad Arianos defecerint, non tamen eccleſiæ noſtræ Arianiſmi damnandæ ſunt, cum hæc ſit cõditio veræ eccleſiæ vt ex ea mali homines prodeant, & ab ea in qua nunquam vere fuerunt ſecedant, ſicut ex vera & catholica eccleſia prodierunt & ab ea defecerunt Ebion, Cerinthus, Sabellius, Paulus Samoſatenus, Arius & alij hęretici,

retici: neq; tamen propterea quiſquam bonus veterem eccleſiam hoc nomine damnauit, aut ſpiritum eius quicquam cum hæreticis commune habere aſſeruit. Cum ſuperioribus annis Staphylus & alij è Papiſtarum numero Lutheranis obijcerent Anabaptiſtas variasq; alias hæreſes ex Lutheri ſchola prodijſſe, clamabant omnes hanc eſſe iniquiſsimam calumniam, ſe nihil cum his commune habere, ſed eos damnare, & nunc eodem argumento & pari calumnia nos opprimere ſtudent, et earum hæreſum nos reos peragunt, quas ſcriptis & viua voce quotidie oppugnamus. Quamuis autem ipſi ſpiritum noſtrum Arrianiſmi damnent, nos tamen certi ſumus Dei beneficio, ſpiritum noſtrum ex Deo eſſe, & hactenus pro gratia nobis diuinitus conceſſa, Dei gloriæ miniſterio noſtro inſeruire ſtuduimus, quod ſi his quæ bene à nobis dicuntur, organa Satanæ abutuntur ad ſuas impietates confirmandas, num propterea nos damnandi ſumus, cum ipſas ſcripturas ad ſui erroris patrocinium detorqueant? Iniquè igitur ſpiritum noſtrum damnat Lutherus, eiuſq; iniuſtã ſententiam iniuſtè approbat Brentius, ac videant ipſi quo ſpiritu ducantur, qui Satanæ ſpiritum nobis tribuunt, & doctrinã noſtram ex ſcripturis depromptam, calumniantur tam impudenter, quaſi à Satana prolatam ad abolendam veram Chriſti agnitionem, quod cum redarguant noſtræ conciones, libri, & piorum infinita- Not. B.

martyria quæ pro confessione veræ fidei sustinuerunt, videant an nō hac calumnia contradicant Spiritui sancto? Atque ipse Iacobus Andreæ cum eadem repetat, & nouis maledictis accumulet, nos apertè Turcis peiores nominans, ac atroces has calumnias & publica atque manifesta mendacia, admonitus contra suam haud dubie conscientiam non cesset spargere, sciat sibi graue iudicium Domini quod nobis aliquoties minatur, subeundum, in quo falsi testimonij & calumniæ pœnas luat.

Nostri cum possent se ulcisci de Lutheranis, id non fecerũt.

Brentium fatetur nostrorũ erga se humanitatē prædicasse, sed id non pugnare cũ admonitione Testamenti, nam illic loqui eum quid expectandum sit si Zuingliani vincant & imperium obtineant. Verum Domine doctor de hoc ipso respondimus, nostros cum facultatem & potestatem haberent lædendi aduersarios, non tamē ea abusos esse, sed ipsos humaniter excepisse & beneficijs prosequutos fuisse. Quum enim infelici bello Germanico ministri ex multis vrbibus eiecti nusquam in imperio consistere possent, omnibus territis & consternatis victoria Caroli Imperatoris, & ad nos tanquã in asylũ confugerent, difficile scilicet fuisset se de illis vlcisci, & hoc facto gratiam non leuē apud Imperatorē inire. At Serueti mortē nobis obijcit Andreas quē amplissimus senatus Geneuensis capite dãnauit: quod si scit quas & quantas blasphemias

Serueti mors.

mias publicis ſcriptis diſſeminarit,& tamen im purum & blaſphemum hominem defendit,taceat in poſterum & ne obijciat nobis Antitrini tarios,quorum patrem ipſe tantopere tuetur. Videat etiam quo nam modo ea ſuſpicione ſe liberare poſſit,quam ex argumentorum & ſcriptorum ſimilitudine boni viri de ipſo conceperunt quod cũ Antitrinitarijs colludat: eſt enim non leuis beneuolentiæ indicium, quod ipſi illius hominis mors dolet; quem nemo bonus vnquam vel viuum vel mortuũ probauit. Sin vero doctrinam Serueti ignorat,& tot blaſphemias quæ ipſius libris continentur non legit, næ temerarius eſt,qui tam facile cauſa nondum cognita ſententiam fert, & ampliſſimas atque honeſtiſſimas reſpublicas iniqui iudicij cõdemnat. Sed non tantum Serueti ſed omnium hæreticorum patrocinium non immeritò ſuſcipit, qui omnes fere hæreſes veteres aliqua ex parte renouat,ac contendit magiſtratui non licere gladium aduerſus hos ſtringere: de qua quæſtione nihil hic agemus,cum ſeparatim copioſe expoſita ſit, & quantum inſtituto noſtro ſufficit ad hoc ipſum R. Pater noſter D. Bullingerus illi reſponderit. Falſo nobis tribuit quod omnes à nobis diſſentientes hæreſeos condemnemus,& ex falſa hypotheſi male concludit, Lutheranis nihil niſi cædes & perſecutionem à nobis expectandam eſſe, ſi eius rei facultatem nancia

Noſtri nun quam perſe quuti ſunt Lutheranos, ſed illi nos.

ſcamur. Nam ſicut ante oſtendimus, nunquam hoc noſtri fecerunt, etiam cum impune & tuto id facere poſſent. Præterea cum in eadem fidei profeſsione nobiſcum conſentiant duo clariſsima regna Angliæ & Scotiæ, non poteſt vllum huius tyrannidis exemplum in illis proferre, ſed nos contra oſtendere poſſumus, quot millibus exulum inter quos etiam complures Lutherani fuerunt, tutum hoſpitium præbuerint. Sed non eandem benignitatem peregrinorũ eccleſia olim Londini collecta apud Germanos inuenit, qui aſperrima hyeme cum vxoribus & liberis non potuerunt hybernandi locum impetrare. Et quid de noſtris Lutherani ſtatuant, Vueſtphalus publico ſcripto teſtatur, ſcribens, magiſtratus gladio noſtros coercendos eſſe. Angli quoque exules, partim nobilitate generis, partim doctrina, omnes autem pietate clariſsimi viri, nullum in Germania exilij ſui tempore conſiſtendi locum habuiſſent, ſi magiſtratus politici conſilia miniſtrorum eccleſiæ ſequi voluiſſent: & cum alicubi à magiſtratu hoſpitium tutum impetraſſent, nihilominus à miniſtrorum inſidijs, conuitijs & contumelijs liberi & tuti eſſe non potuerunt. Quid verò opera & ſtudio Iacobi Andreæ complures boni viri in Vuirtenbergico agro & alibi paſsi ſint, non ignoratur, & Deo volente eius artes quotidie magis detegentur.

Poſtremo

Poſtremo de mendacij ſpiritu docet Iacobus Andreæ, ſi quis ſemel mendacij conuictus fuerit & in falſo deprehenſus, huic nullam in poſterum fidem habendã eſſe, propterea quod Spiritus ſanctus nõ mentiatur. Nos igitur hanc ipſius regulam ſeruantes demonſtrabimus, ipſum prorſus indignum eſſe, cui vlla fides habeatur, quippe qui non ſemel, ſed ſæpius manifeſti mendacij conuictus teneatur. Ac primum in eo quo nos mendacij accuſat, ipſum eius criminis damnabimus, nẽpe quod falſo ait nos Capernaiticam manducationem carnis Chriſti illis tribuere. Equidem nunquam illis tribuimus quod corpus Chriſti particulatim & in fruſta cõminutũ comedant, idq́; ſenſibiliter & viſibiliter pręſens, ſed illam manducationẽ corporis ineffabiliter & inuiſibiliter præſentis diximus Capernaitice ab ipſis aſſeri, quoniam Capernaitarum more imaginantur ipſam ſubſtantiam carnis Chriſti ore & dentibus manducandam: quid autem de hac doceant ipſorum verbis exponemus. Lutherus igitur in cuius verba omnes iurarunt, ſic ſcribit in Confeſsione maiori:

D. Andreas mendacij ſpiritu regitur.

Reſpons. 40.

" Quare non recte faciunt Suermeri & gloſſa Decretorum, vbi Nicolaum Papam reprehendunt, qui Berengarium ad hanc Confeſsionem coegit, vt diceret ſe verum Chriſti corpus dentibus atterere. Vtinam vniuerſi Pontifices tam Chriſtianè omnia feciſſent, atque hic Papa Berengario quoad hanc confeſsionẽ fecit. Nam

" utiq; sic se habet, quisquis panem hunc edit &
" mordet, edit & mordet id quod ipsum verũ cor
" pus Christi est, ac non tantum merum pané, vt
" Vuiclephus docet,&c. Hęc Lutherus. Verba autem confessionis Berengarianæ hæc sunt; Panẽ & vinum quę in altari ponuntur, post consecra
" tionem nó solùm sacramentum, sed etiã verum
" corpus & sanguinẽ D.N.Iesu Christi esse: & sen
" sualiter non solũ sacramentũ, sed in veritate ma
" nibus sacerdotũ corpus Christi tractari, frangi, fi
" deliũ dentibus atteri. Porrò Glosa addit: Nisi sa-
" nè intelligas verba Bereng. in maiorem incides
" hæresim, quã ipse habuit, & ideò omnia referas
" ad species ipsas, nam de Christi corpore partes non facimus. Cũ igitur Glosam reijciat Lutherus, & simpliciter affirmet vt confessio Berengarij habet, non solùm sacramentum, sed verũ Christi corpus sẽsualiter manibus tractari, frangi, & dentibus atteri: iudicent lectores, an spiritualiter, an verò crassè et carnaliter de tanto mysterio aduersarij loquantur. Neque Lutherus hoc quod in feruore certaminis sacramentarij scripsit vnquã retractauit, imò in ultima confessione paulò ante mortem edita repetit, se Papistarum sententiam probare: alibi etiam in suis scriptis satis crasse de corporali manducatione loquitur, quæ tamen loca nunc prætерimus, quòd ea in responsione patris nostri honorandi Domini Bullingeri copiosè recensentur. Hoc tantùm addemus, Doctorem Andream in Apolo-

De consecr. dist. 2. cap. Ego Bereng.

pologia ad theses Ingolstadianas scribere, has propositiones δὶς δὶᾳ πασῶν differre. Christus adest in Cœna corporaliter, & Corpus Christi adest in Cœna corporaliter. In posteriore enim propositione per vocabulum Corporaliter, dimensiones intelligi: vt dicatur secundum longitudinem & latitudinem, & altitudinem in cœna adesse, quod nemo, inquit, nisi absurdissimi quidam ex scholasticis dixerunt. Meminerit autem doctor Andreas, propositionem hanc, quam ipse vt absurdam damnat, sæpius à Luthero vsurpatam, vnum tantum & alterum locum adijciam ex Defensione verborum cœnæ, Accipite, comedite, &c. Secundo deinceps loco mihi cupio explanari, quid si in Cœna carnem Christi corporaliter manducem, eo tamen modo, vt simul etiam spiritualiter comedam, an non mihi concedatis quod caro Christi in Cœna aliquid prosit? Quo pacto fiat istuc? Hoc modo fiet, Ego corpus Christi cum pane manducabo corporaliter, & simul etiam in corde credam, quod sit corpus quod pro me datur in remissionem peccatorum, vt verba sonant Hoc est corpus meum quod pro vobis datur, quod vos vocatis spiritualiter manducare. Item, Impij solum corpus Christi sine verbo, solo ore, absq; corde, tantum corporaliter & non spiritualiter manducant. Itẽ, Os manducat corpus Christi corporaliter. Itẽ, Nostra corpora physice percipere Eucharistiã corporis Christi.

Pag. 53. 54.

Tomo Viteberg. 7. pag. 399.

Pag. 400.

Pag. 401.

Pag. 412.

" Item Os & stomachum corpus Christi mandu-
" care. Item, Præsto enim & coram adsunt verba,
" Hoc est corpus meum: quæ continent & no-
" bis exhibent corpus Christi corporaliter. Po-
stremo in breui Confessione scribit Lutherus nostros Marpurgi concessisse Christi corpus & sanguinē adesse in Cœna Domini, sed non corporaliter verum spiritualiter: Ipse vero suam fidem his verbis exponit. Sic vero docent Papi-
" stæ: imo non Papistæ sed sancta Christi eccle-
" sia, & nos cum illis (nam Papa vt diximus sacra
" mentum non instituit) CORPVS CHRI-
" STI non esse localiter in sacramento (vt stra-
" men in sacco) sed definitiuè: hoc est vere adesse,
" non vt stramen in sacco sed CORPORALI-
" TER & vere adesse. Cum igitur Iacobo Andrea auctore crassa præsentia significetur hac loquendi forma qua dicitur Corpus præsens esse corporaliter, & nos ostenderimus Lutherū docere, corpus Christi in cœna adesse corporaliter, exhiberi corporaliter, ore manducari corporaliter: iudicent lectores an Aduersarijs faciamus iniuriam quando scribimus eos crassam & carnalem præsentiam & manducationē carnis Christi asserere.

Præterea falso an vere accusemus Aduersarios, quod carni Christi tribuant creatam deitatem quæ alia sit ab æterna Deitate, similiter piorum iudicio relinquimus æstimandum, qui si expendant quæ superius ex Brentij & Andreæ

libris adſcripſimus, facile de hac controuerſia pronunciare poterunt. Etſi enim non ſeparant carnem à Verbo (neque nos hoc de illis affirmauimus) tamen dum non aliam agnoſcunt præſentiam diuinitatis in aſſumpta carne quàm in alijs hominibus, neque aliam inhabitationem in Chriſto ſecundum humanam naturam quã in Petro & alijs ſanctis, niſi quod communicatione proprietatum differat, quarum nonnullæ ſanctis, Filio autem hominis vniuerſæ communicantur, qua donorum cõmunicatione homo Deus & Deo æqualis factus ſit: certe hac communicatione & tranſfuſione propriam & peculiaré Deitatẽ in humana natura ſtatuunt, quantumuis eam à Verbo non ſeparent.

Præterea aliquoties nos accuſat mendacij D. Andreas, quod eos dicamus ex aſcenſione Chriſti in cœlum facere quandam diſparitionem: quod dicamus eos aſſerere corpus Chriſti vbique præſens ſicut diuinitas præſens eſt: quod tribuamus illis cœlum vbiquarium, in quo ſit infernus & ipſi dæmones: verum nos hæc vere de illis affirmaſſe teſtimonijs ipſorum prolatis oſtẽdimus, quare turpiter ea negat Andreas quę Brentius ſuus publicé docuit & affirmauit. Poſtremo multa de nobis falſo aſſerit, & ea nobis tribuit quæ nunquam ſcripſimus aut docuimus. Ait nos Chriſtum iuxta humanam naturam nullo modo præſentem agnoſcere. Item tãtum ſtatuere præſentiam carnis Chriſti quæ co Pag. 23. 24. & 25. Pag. 31.

gitatione nostra fiat. Docere corpus Christi spiritualiter præsens esse: sed voce spiritualiter, indicari Spiritum sanctum tantum præsentē esse. qui ea quæ humanitatis Christi sunt faciat: atq; ita homines à corpore Christi ad Spiritum sanctum ablegare. Verba Christi, inquit, nos in dispensatione mysteriorum omittere, & alia in eorum locum substituere. Nullum discrimen à nobis constitui inter Christi & aliorum sanctorum ascensionem. Christum ita ascendisse in cœlos iuxta nostram sententiam, vt secundum carnem nihil nobiscum negotij habeat. Nos duos Christos fingere; Christum hominem spoliare sua omnipotentia, ac illi nihil nisi nudum nomen & titulum relinquere. Asserere humanam naturam in Christo nullam prorsus communionem habere cum diuinæ naturæ proprietatibus. Falsò ipsis tribuere quod corpus Christi iuxta naturam humanorum corporum vbiq; præsens esse doceant. Sæpe etiam nos ait scripturas peruertere; Patrum testimonijs alienum sensum affingere, non audere libere nostrā sententiam profiteri, sed fugere lucem. Nos esse Nestorianos, Arrianæ hæresi, & Machometanę iniquitati viā sternere; imò Turcis peiores esse. Porro hæc omnia falso de nobis asserere D. Andream luculentè & euidenter in nostra responsione ostendimus. Quare si iuxta ipsius sententiam is spiritus mendax est, qui semel mentitus fuerit, necesse est Iacobum Andreæ plenum esse spi-

Pag. 24. 28 & 29.
Pag. 52. 54.
Pag. 31.
Pag. 50.
Pag. 74. & 111.
Pag. 73. & sæpe aliàs.
Pag. 76. 77

se spiritu mendacij & ab eo totum regi & impelli, qui tot luculenta & publica mendacia de nobis spargit, & singulas ferè sui libri paginas insigni aliquo mendacio aut calumnia contaminauit.

CAPVT XIII.

An Zuingliani fucatis verbis Augustanæ confeßioni sese ingerant.

QVæ in hoc capite D. Andreas scribit, nō egent longa responsione, nos enim quos nominatim hoc libro impugnat, nunquā Augustanæ confessioni subscripsimus, aut eius authoritate nostra sententiam defendimus. Quamuis enim verba Augustanæ confessionis bono sensu accipi possint, ac nusquam oralis manducationis mentionē faciant, quia tamē vidimus plerosq; qui Augustanam confessionem profitentur, in eorū interpretatione dissentire, nostra confessione contenti, Augustanam ipsis disceptandam reliquimus. Cæterum quidam è fratribus nostris cū viderent verba Augustanæ confessionis bono sensu accipi posse, eá approbarunt, atq; dixere se cū Augustana confessione prorsus consentire, quatenus illa cum sacris literis consentiat. Cū enim verba sint ambigua, existimarunt neminem esse qui sibi defendendam existimet eorum sententiam cum sacris literis pugnantem: atque huius sui facti rationes firmas attulerunt, cum alij tum grauissimi Theologi Heidelbergensis Academiæ, in responsione

Tigurini nunquam Augustanæ confessioni subscripserunt.

ſua Vuirtembergenſium declarationi & confeſſioni oppoſita anno 55. 66. Cum autem horum argumentis nondum ſatisfecerit D. Andreas, facile eius φλυαρίας, quas in hoc capite effutijt, cõtemnere poſſumus. Nam quod Caluinum ſanctæ memoriæ ipſorum confeſſionis fuiſſe aliquando ſcribit & poſteà incertum de fide ſua fuiſſe fingit, quia ad Philippi teſtimoniũ & iudicium in hac cauſa prouocarit, futilius eſt quã vt reſponſione egeat. Num enim ideo quia Caluinus certus de Philippi ſententia ad illius iudicium & teſtimonium prouocauit, eumque arbitrum quaſi huius controuerſiæ conſtituit, ipſe propterea nullam certam in hoc dogmate fidem habuit, aut vnius hominis authoritate fides eius ſubnixa fuit? Vnde vero probabit Caluinum vnquam probaſſe Vbiquitatem corporis Chriſti & eiuſdem oralem manducationem? Quod ſi eorũ confeſſionis fuiſſe ideo cõtendit, quia Auguſtanam confeſſionem probauit, cur eundem & clariſſimum virum Iohannem à Laſco tantoperè damnat, quòd Auguſtanæ confeſſioni addita eius interpretatione ſubſcripſerunt? neque enim oſtendere poteſt vnquam alio ſenſu Caluinum confeſſionem Auguſtanam pobaſſe quàm eo quem diſerte in ſcriptis ſuis explicauit & conſtanter ad exitum vſque vitæ profeſſus eſt.

Qui nam hominum auctoritate nitantur.

Porro quod nobis imputat nos non verbo Dei ſed humana authoritate niti, id ſciat ſibi dictum

ctũ esse D. Andreas, ipse enim cum suis Augustanã confessionẽ, Principum authoritatem qui huic subscripserunt, acta in conuentibus Imperij, pacem religionis, subinde in ore habet, hæc iactat, his cõfidit & nititur. Quas autem turbas dederit his ipsis in locis, in quibus omnes sibi subscripsisse gloriatus est, res ipsa declarat. Post remò ne videatur vllo modo cõcordiæ studere, nobis ingentis criminis loco obijcit quod ipsis fraternitatem obtulerimus. Verum cogitet hoc Marpurgi factum esse, vbi inter precipuos Doctores de cæteris capitibus religionis nostre conuenit, atque hoc tantum controuersum mansit, Vtrum verũ corpus & verus sanguinis pani & vino corporaliter insit. Existimarunt enim nostri cum consensus initus esset in præcipuis alijs partibus cœnæ Domini, & tantum controuersia maneret de modo præsentiæ, quẽ tamen non crassum & localem Lutherus à se affirmari dicebat, posse hac controuersia nondum sublata nihilominus fraternitatem & concordiam seruari. Neque enim hanc dissensionẽ tanti esse cuius gratia Ecclesiæ scindi debeant, ac tum certe fuerunt viri eruditi, qui existimarunt verborum potius quàm rerum controuersiã esse: Lutherũ enim etsi vtatur crassioribus loquendi formulis, reipsa tamen non dissensisse à nostris, cæterum noluisse explicatius loqui aut semel vsurpatas formulas mutare, partim ne videretur nuda signa constituere, partim ne

Fraternitas oblata.

Not.

mutatione hac vniuersam suam doctrinam in dubiũ reuocaret, nos rẽ in medio relinquimus.

Vbiquistis non est oblata fraternitas.

Quæ igitur iam de fraternitate & cõcordia diximus, ad eos pertinent, inter quos tantum controuersia fuit de modo præsentiæ corporis Christi in sacra cœna. Marpurgi enim vbi hæc acta sunt nemo Vbiquitatem asseruit, nemo nouas has interpretationes Vbiquitariorum de incarnatione Domini, de ascẽsione eius in cœlos, et sessione ad dexterã dei patris agnouit aut protulit. Itaq; aperte testamur noua illa vbiquiariorũ dogmata ex Nestoriana & Eutychæa hæresi ꝓgnata in ecclesia ferri nõ posse, neq; nos tales pro fratribus unquã agnouisse aut agnoscere posse, nisi aliter & melius sententiã suã explicet. Porro quod nobis obijcit, si dissensio hæc fraternitatẽ nõ tollat, nos grauissime culpandos esse, qui eius causa tam periculosum tumultũ in Ecclesia excitauerimus, & in exilium expellamus quos pro fratribus agnoscimus, denuo respondemus, nos nõ esse huius tumultus authores, sed eos qui se veritati opposuerunt, fraternitatẽ oblatã reiecerũt, concordiã aliquoties initã violarunt, Possumus etiam illi ostendere pios & doctos minstros Mẽminge, Goppingæ & alibi opera Iacobi Andreæ cũ vxoribus & liberis in exiliũ eiectos, de nobis autẽ nihil tale affirmare potest salua veritate. Nos contra multo plures exules hospitio nostro benigne vsos, illi vicissim opponere possemus.

Postremo

Postremò petimus à D. Andrea vt nobis ostendat, quo iure ipse sibi vendicet Augustanã confessionem, nam primũ nulla fit Vbiquitatis mentio in ipsa Confessione aut eius Apologia, neq; vllis argumẽtis inde sumptis probari potest: adhęc in repetitione Augustanæ confessionis anno 51. scripta, & in Francofordiensi recessu Principũ anno 58. ita explicatur Augustana cõfessio vt huic nullo modo obtrudi possit vbiquitas aut oralis manducatio. Deinde quod ad articulos attinet de incarnatione Christi, seu de personali vnione, itemq; de ascensione, Augustana confessio cum doctrina hactenus recepta, quam etiam Papisticæ Ecclesiæ retinuerunt, cõsentit. At Vbiquistæ nouam prorsus doctrinam de his dogmatibus proponunt, & non minus cum Põtificijs quàm nobiscũ de his dissentiunt. Quapropter cum vbiquistæ neq; in articulo cœnæ Domini, neq; in doctrina de incarnatione sentẽtiam Augustanæ confessionis retinuerint, falsò de illa gloriantur, & ipsi sese fucatis verbis huic ingerunt, ideoque cum in manifesto mendacio deprehensi sint, quo spiritu ducantur reipsa ostendunt.

D. Andreas falsò gloriatur de Augustana confessione.

CAPVT XIIII.

Conclusio de Brentiani Testamenti classico.

BRentius in suo Testamento posteaquam asseruit Zuinglianos si vincant, orthodoxos

latronum more persecuturos & oppressuros esse, & quamuis simulent se recte sentire & ea= dem verba cum recte sentientibus vsurpent, nul lam tamen illis habendam esse fidem, neque vl lam compositionem cum illis faciendam, de= mum subijcit: Oro (inquit) per Dei gratiam, vt omnes qui iuuare possunt, iuuent: & qui pro= hibere possunt, prohibeant vt Zuinglianorum spiritus in recta & vera Christi ecclesia nullum locum & sedem habeat. His verbis diximus Brentium quodãmodo clasicum aduersus nos canere, hoc Iacobus Andreæ ferre nequit, atq; adeo vehementer nobis irascitur, vt etiam vete= ra & obsoleta Papistarũ maledicta aduersus nos repetat. Primum, inquit, Zuinglianus spiritus iubet homines comburere & capite multare, quod hæretici sint & diuinam maiestatem blas= phemarint. Hoc de quibus dicat nisi de Serueto & Valentino Gentile, quorum hic Bernæ ca= pite multatus, alter Geneuæ cõbustus fuit, ani= maduertere non possumus. Neque enim Lu= theranorum quisquam à nostris in exilium pul sus, nedũ capitali supplicio affectus fuit. Quod si de his loquitur, tum necesse illi est, vt vel o= stendat eos non fuisse impios & blasphemos, aut non licere pio magistratui blasphemos ho= mines iuxta mandatum diuinæ legis capitali= ter punire. Si igitur Seruetum defendendum su scipit, ostendat nobis eos non blasphemare, qui ex propria Dei substantia & quidem ex tra= duce

De Serueti & Gentilis supplicio.

duce omnes creaturas esse affirment, ac diabolũ ipsum substantialiter Deum esse: qui æternam Deitatem filij Dei negant: qui Christum cõnotatiuum Deum vocant: qui sacrosanctam Trinitatẽ vocant cerberum tricipitem, tria phantasmata, imaginarios Deos tres, & illusiones dæmoniorum. Præterea cum præcipua dogmata fidei nostræ Seruetus non tantum oppugnet, sed etiam conuitijs proscindat, & nugis contaminet, sciat Iacobus Andreæ omnia hęc sibi defendenda esse, si eum à blasphemiæ crimine liberare voluerit. Similiter Valentinus Gentilis non tantum periurij reus fuit, verumetiam blasphemiarum, quibus sacrosanctam Trinitatem passim in scriptis suis aspergit, vt iam non dicamus de calumnijs, quibus insontes ecclesias onerat, ac hæreseos crimine traducit: item de imposturis, quibus suos errores fucatè texit, ac ipse è discrimine euadens, alios capitalibus periculis obiecit. Si igitur D. Andreas vel tam apertas blasphemias horum hominum excusare & eleuare conatur, vel in genere existimat blasphemiæ crimen non esse supplicio dignum, videat quam opinionem de se in animis hominũ concitet: non deerunt enim forte aliqui suspicaces homines, qui existimabunt eum præter monstrosa dogmata, quæ hactenus peperit, plura alia portenta opinionum absurdarum & blasphemarũ clã alere. Et si qui forte mitius eius dicta interpretabuntur, dicent eum non tam doctri-

nam horum probare, quàm calumnijs & imposturis eorum, quibus nostras Ecclesias onerarunt & vexarunt, delectari, quasi domesticis artibus, quas hactenus etiam ipse diu exercuerit.

Secundo loco nobis obijcit quod nostri suos ad bellum hortati sint, pollicentes se aduersariorum globos tormentarios manicis suis excepturos esse. Scimus equidem quædam huiusmodi Papistas olim de Zuinglio sparsisse, sed dudū ita confutati sunt à nostris, vt ne ipsi quidem vllam huius rei mentioné deinceps fecerint. Possemus autem viuos testes in medium adducere, qui bello Germanico in castris Protestantium celebrem quendam concionatorem huius modi voces in concione iactantem audiuerunt, sed mox meticulosus & miser homo tantum sclopeti sonitu territus, è curru in quo stans concionabatur decidit. Quod si testimonij fidē merentur Papistarum criminationes & conuitia, quid non possemus vicissim Andreæ nostro ex Aduersariorum suorum scriptis obijcere? Si ipse Papistis credit nos calumniantibus, permittat nobis vt vicissim etiam his credamus quæ de ipso scribant, præsertim cum multi nequaquam Papistæ, plæraq; vera esse affirment quę de illo dicuntur.

De seditionum auctoribus.

Tertio inquit Zuinglianum spiritum sub prætextu & nomine Euangelij subditos contra ordinarium magistratum concitare, & seditiones excitare. Graue quidem crimen si verum

tum esset, sed longe grauior & non ferenda calumnia quando idipsum falso nobis obijcitur, vt certe nunquam probare poterit hanc suam accusationem. Videmus quidem eum hic ad Gallos fratres nostros respicere, qui arma contra regem suum sumpserint, sed illa causa maior est & grauior quam quæ paucis hic à nobis disceptari possit. Hoc tantum dicam, Gallorum causam quam ille seditionis nomine damnat, probatam fuisse iudicio multorũ Illustrissimorum Principum Germaniæ: imò pace facta Regem ipsum non tantum ignouisse nostris, verum etiam eorum voluntatem approbasse publico edicto pacificatorio, quod deinde violatum à Papistis renouandi belli occasio fuit. Sed si nulla causa est propter quam inferiori potestati licet arma contra superiorem sumere, neque inferioribus concessa est aliqua legitima defensio contra atroces superiorum iniurias, quomodo Illustrissimos & Illustres Germaniæ Principes, & amplissimas Germanici imperij ciuitates excusabit & defendet, quod bellum aduersus Carolum V. gesserunt? Certe eo tempore cum ipsorum causa ageretur, longe alia fuerunt Germanorum Theologorum iudicia, id satis declarat Iusti Menij liber de legitima defensione, qui eo tempore editus & magno omnium applausu exceptus fuit. Verum quia pij Principes complures hoc bello occubuerũt,

De bello gall

Germanico.

ac non pauciores posteà per insidias cæsi sunt, ex euentu iudicat conatum horum infelicem et propterea etiam iniustum fuisse, immemor vulgati versiculi, quo damnantur, qui ab euentu facta iudicanda existimant. Nam quod patientiã Christianorum in ferenda cruce commendat, eorundemque constantiam in persecutionibus, quibus sæpe multi ad fidem conuersi sunt, nemo improbat. Neque martyrum patientissimorum & constantissimorum exempla nobis desunt, sed non propter hanc quæ à singulis requiritur patientiam, principibus suum ius adimitur, quo minus consulant hominibus suæ fidei commissis, & regni libertatem defendant. Facile autem est D. Præposito degenti in summa pace & omnium rerum affluentia, & longe extra teli iactum constituto, de patientia & constantia se magnifice iactare, & insultare his qui fortunas suas vitamque & sanguinem religionis causa discrimini tot iam annis exposuerunt, qui è principibus exules, ex liberis captiui, è diuitibus pauperes facti sunt; dum intereà temporis nostri isti Præpositi & Abbates Euangelici, titulo & prætextu verbi Dei è mendicis diuites fiunt, & iam ferè ad principum fastũ aspirant.

Classicum Brentij.

Sed denuò cum Andrea nostro ad Brentij Testamentum reuertamur: noluisse eum (inquit) classicum canere, sed tantum ecclesiarum ministros excitare ne patiantur hostem malum semen in agrum suum serere, ac magistratum

simul

ſimul excitare, non vt cæde & incendio, ſed decenti ſeueritate idem faciat: neminem hactenus cuiuſcunq; religionis fuerit, ab ipſis cæſum fuiſſe. Verum nos non obiecimus illis cædes, ſed ipſum his verbis ad arma vocare diximus, vt publico concurſu & auxilio cauſam ſuam tueri poſsit, & noſtros eijcere & ſuo loco depellere. Itaque quamuis neminem occiderint, tamen quæ Memmingæ, Goppingæ & alibi facta ſunt, vbi pios & idoneos miniſtros eiecerunt, & inhumaniſsimè tractarunt, oſtendunt nos rectè ſententiam Brentij interpretatos eſſe. Quod autem addit ſe Papiſtarum tyrannidem improbare, qui ſimplices Chriſtianos à Zuinglianis ſeductos, & non melius edoctos gladio perſequuntur, Brentium non excuſat. Nam eo ipſo videtur approbare perſequutionem & exilia miniſtrorum Eccleſiæ, dum tantum ſimplici plebi ab alijs ſeductæ parci vult. Porro quod iactat honorem & beneuolentiam humanitatisque officia noſtris fratribus à Brentio exhibita, tum demum credemus hæc verè ab ipſo commemorari, ſi aliquod huius rei teſtimonium produxerit. Certè nobiliſsimus & doctiſsimus D. Iohannes à Laſco, nulla huiuſmodi officia Theologorum Vuirtembergenſium ſenſit, cum hoſpitij quærendi cauſa ad Illuſtriſsimum Principem veniſſet. Verè autem dicere poſſumus hæc carnali quodam affectu à Brentio ſcripta eſſe, quod in propria cauſa hære

Idē eodēq; modo Heſſh. cōtra philip.

ret & illi diffideret. Nam quam crassum sit hoc nouum Vbiquistarum dogma, quam alienum à scriptura sacra, & Veteri Ecclesiæ incognitum, abunde satis non tantum à nostris, verum etiam à Lutheranis & Papistis demonstratum est. Itaque cum toties conuicti & admoniti in suis erroribus perseuerent, ac partim Principum potentia, partim sophistarum argutijs quasi latebris quibusdam se defendant, apparet ipsorum causam non esse ex Deo, ideoque consistere nó posse, sed fore vt tandem magno ipsorum malo nisi resipiscant, concidat.

Quoniam verò D. Andreæ visum est librũ suum concludere repetitione confessionis suæ de cœna Domini, & anathematismis quibus contrarium sentientes damnat, placuit nobis hoc quoque loco doctrinæ nostræ summã subijcere, qua exposita, quid de eius anathematismis sentiendum sit quoque indicabimus. Primum igitur verba Christi, quibus cœnam sacram instituit, iuxta morem in sacramentis omnibus vsitatum accipimus & intelligimus: Christus enim his verbis ritum sacrum Ecclesiæ suę instituit, quo voluit in recenti memoria conseruari maximum beneficium mortalium generi à se præstitum, nempe quod tradito corpore & effuso sanguine omnia nobis peccata nostra condonauit, ac à morte æterna & potestate Diaboli nos redemit, ac pascit nos sua carne & potat suo sanguine, quæ vera fide spiritualiter percepta

Summa doctrinę nostrę de cœna domini.

cepta alunt nos ad vitam æternam: & hoc tantum beneficium renouatur toties quoties cœna Domini celebratur, dixit enim Dominus, hoc facite in mei commemorationem. Obsignatur etiam hac sacra cœna, quod reuera corpus Domini pro nobis traditum, & sanguis eius in remissionem peccatorum nostrorum effusus est, ne quid fides nostra vacillet. Iuxta morem autẽ omnium sacramentorum externo ritu visibiliter per ministrum repræsentatur, & veluti oculis contemplandum subijcitur, quod intus in anima inuisibiliter per ipsum spiritũ sanctum præstatur, foris offertur panis à ministro, & audiuntur voces Domini: Accipite edite, hoc est corpus meum, accipite & diuidite inter vos, bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus. Ergo accipiunt fideles quod datur à ministro Domini, & edunt panem Domini, ac bibunt de poculo Domini: intus interim opera Christi per spiritum sanctum percipiunt etiam carnem & sanguinẽ Domini, & pascuntur his in vitam æternam. Etenim caro & sanguis Christi verus cibus & potus est ad vitam æternam. Et Christus ipse quatenus pro nobis traditus & saluator noster est, illud præcipuum cœnæ est, nec patimur quicquam aliud in locum eius substitui. Vt autem hæc rectius intelligantur, animaduertendũ est in sacris literis, duplicẽ cõstitui manducationẽ corporis Christi, vnã quæ spiritualis est & Ioan. 6. cap. describitur: nominatur autem hæc

spiritualis, non quod essentia corporis Christi in spiritum mutetur, sed quia id nobis non corporali modo, sed spiritualiter cõmunicatur. Sicut enim corpora nostra reficiuntur, roborantur & in vita conseruantur cibo & potu corporali, quẽ corporeo modo ore nostro sumimus: ita carne Christi pro nobis tradita & sanguine eius pro nobis effuso reficiuntur & roborantur animæ nostræ, & ad vitam æternam conseruamur, non quatenus corporaliter eduntur & bibuntur, sed quatenus spiritualiter nobis à spiritu Dei communicantur, dicente Domino: Et Panis quem ego dabo, Caro mea est, quam dabo pro mundi vita. Itẽ, Caro (nimirũ corporaliter manducata) non prodest quicquam, spiritus est qui viuificat, & verba quę loquor vobis, spiritus & vita sunt. Et sicut oportet cibum edendo in nosmetipsos recipere vt operetur in nobis, suamq; in nobis efficaciam exerat, cũ extra nos positus nihil nobis prosit: Ita necesse est Christum fide recipere vt noster fiat, viuatque in nobis & nos in ipso. Dicit enim: Ego sum panis vitæ, qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me non sitiet vnquã. Item, Qui ederit me, viuet & ipse propter me, ac manet in me & ego in ipso. Hinc autem manifestum est, nos per spiritualẽ cibum non intelligere spiritum sanctum multo minus imaginarium nescio quem cibũ, sed ipsum Domini corpus pro nobis traditum, quod tamen percipiatur à fidelibus non corpo-

raliter,

taliter, sed spiritualiter per fidem.

Altera deinde est sacramentalis manducatio corporis Domini qua fidelis non tantum spiritualiter & interne participat corpori & sanguini Domini, sed foris etiam accedendo ad mensam Domini, accipit visibile corporis & sanguinis Domini sacramentum, quod mystica ratione, qua signo nomen rei signatæ tribuitur, corpus Domini nominatur. Etsi autem fidelis prius dum credidit, viuificum alimentum percipit & ipso fruitur adhuc, non tamen ideo nihil accipit, dum sacramentũ quoq; accipit. Nam in cõtinuatione cõmunicationis corporis & sanguinis Domini pergit, adeoque magis magisque incenditur, & crescit fides, ac spirituali alimonia reficitur, dũ enim viuimus, fides continuas habet accessiones, & qui foris vera fide sacramentum percipit, idem ille non signum duntaxat percipit, sed reipsa quoque fruitur. Præterà idẽ 4 ille institutioni & mandato Domini obedit, læto que animo gratias pro redemptione sua totiusq; generis humani agit, ac fidelem mortis dominicæ memoriam peragit, atque coram Ecclesia, cuius corporis membrum sit, attestatur. Obsignatur item percipientibus sacramentum, 5. quod corpus Domini non tantũ in genere pro hominibus sit traditum, & sanguis eius effusus, sed peculiariter pro quouis fideli communicante, cuius cibus & potus sit ad vitam æternam. Cæterum qui nulla cum fide ad hanc sacrã Do

mini menſam accedit, ſacramento duntaxat cõmunicat, & rem ſacramenti, vnde eſt vita & ſalus, nõ percipit. Et tales indignè edunt de menſa Domini. Qui autem indignè edunt de pane Domini & de poculo eius bibunt, rei fiunt corporis & ſanguinis Domini, & ad iudicium ſibi edunt & bibunt. Nam cum vera fide non accedant, mortem Chriſti contumelia afficiunt, & ideo damnationem ſibiipſis edunt & bibunt. Atq; hæc noſtra cõfeſsio cum verbis Domini, alijs ſcripturæ locis, ſacramentorum cõmuni ratione & analogia fidei conſentit. Simplex enim genuinusque ſenſus verborum Domini eſt, Panem quem accepit fregit, & diſcipulis dedit, eſſe corpus Domini: cum autem autem panis nõ poſsit eſſe ſubſtantialiter panis, & ſimul ſubſtantialiter eſſe corpus Chriſti, ſequitur eum ſacramentaliter eſſe corpus Chriſti, quia eſt ſignum & figura corporis Chriſti. Sicut autem in Sacramentis duæ res ſunt, cœleſtis & terrena: ita etiam duo ſunt modi manducationis ſeu perceptionis, & quamuis à Deo res cœleſtis ſimul cũ terrena & viſibili offertur, impij tamen, quia deſtituuntur inſtrumento, quo res cœleſtis ſumitur, tantum ſignum externum ſumunt.

Qui autem aliter ſentiunt & tertium genus manducationis faciunt, quo verum & naturale corpus Chriſti ore corporis percipiatur, primum à ſimplici verborum Domini ſenſu recedunt, nolunt enim panem corpus eſſe Domini, ſed

ni, ſed

ni, ſed cum pane inuiſibile corpus Chriſti man
ducandum dari. Deinde contra omnium alio=
rum Sacramentorum rationem, realem coniun
ctionem, & nouam quandam ac ſacris literis in
cognitam vnionem ſigni & rei ſignatæ fingũt,
& vt alia omnia omittamus, eam interpretatio
nem verborum Chriſti afferunt, qua humanæ
naturæ veritas in Chriſto tollitur. Etenim tribu
unt talem omnipręſentiam corpori Chriſti qua
illud diuinæ naturæ exæquant, & ideò veri cor
poris proprietate ſpoliãt. Etſi enim effugere co
nãtur diſtinctione modorũ, quod diuinitas per
ſe vbiq; præſens ſit, humanitas cõmunicata om
nipræſentia, tamen hæc diſtinctio nõ diuerſum
modũ, ſed diuerſam vbiquitatis cauſam oſtẽdit.
Lõge aũt aliud eſt quęrere, quare aliquid ſit prę
ſens, vel quid & quomodo ſit pręſens. Si aliquis
ſpõte domũ ingrediatur, alter vero illuc deporte
tur, vterq; eodẽ modo pręſens eſt ſubſtantia ſcili
cet ſua, etſi cauſa pręſentiæ ſit diuerſa. Quare cũ
vtranq; naturam in Chriſto vbique præſentem
ſtatuant, ſubſtantia ſua ſeu actu primo, item po
tentia, efficientia, operatione ſeu actu ſecundo,
& quidẽ ambas ſine acceſſu & ſine receſſu, ſine
extenſione, ſiue multiplicatione ſui, vt ſcilicet
neutra in loco aut circũſcripta ſit, ſed vtraq; in=
circũſcriptè, inſenſibiliter, inuiſibiliter, incom=
prehẽſibiliter vbiq; pręſens exiſtat, annõ eundẽ
modũ præſentiæ in vtraq; natura ſtatuunt? niſi
præterea, quod nõdum fecerunt, demonſtrent

modum aliquem præſentiæ diuinitatis, qui nõ competat humanitati. Dicunt præſentiam humanitatis eſſe ineffabilem & incomprehenſibilem, dicunt modum eſſe ſpirituale & cœleſtem, eſſe modum maieſtatis & dexteræ Dei, eſſe diuinum modum, annon autẽ hic modus eſt præſentiæ diuinitatis? Lutherus in confeſsione maiore ſcribit, repletiuum modum præſentiæ ſolius Deitatis proprium eſſe, & tamen poſtea addit, humanitatem Chriſti propter vnionem perſonalem eodem modo vbiq; præſentẽ eſſe. Brentiani alicubi repletiuam & perſonalem Vbiquitatem diſtinguunt, attamen Brentius in libro de Maieſtate pag. 99. ſcribit, repletiuam & perſonalem præſentiam ſub vna repletiua poſſe comprehendi, ſe tamen duas ſpecies feciſſe, alteram qua ſola diuinitas, qualis fuit ante incarnationem Chriſti: alterã, qua humanitas vnà cum diuinitate, qualis eſt poſt incarnationem Chriſti, comprehenderetur. Quare cum talia ſcribãt de Vbiquitate carnis Chriſti, etſi verbis negent, re ipſa tamen naturas exæquant & confundunt. Dum enim humanam ſubſtantiam retinere videntur, & tamen ſuis proprietatibus eſſentialibus ſpoliatam, proprietatibus Deitatis in eam transfuſis ornant, duas ſubſtantias earundem proprietatũ et eiuſdem naturæ inducunt. Quod ſi dixerint, ſe non ſtatuere Vbiquitatem corporis Chriſti ſubſtantialem ſiue actu primo, ſed tantum potentia & operatione ſiue actu ſecun-

do,

do, cum quo contendunt? quis enim hoc negat? Quod si simul & eodem tempore contradictoria de corpore Christi verè dici posse contendunt, vt illud sit circumscriptum simul & incircumscriptum, visibile & inuisibile, finitum & infinitum, probent nobis hanc suam nouam Theologiam, & ostendant, Deum simul aliquid velle & nolle, aliquid simul verum & falsum esse. Nam quod ad verba Cœnæ recurrunt, & his probare volunt, Deum velle corpus Christi quamuis finitum & locale, nihilominus omnibus in locis, vbi Cœna celebratur, realiter præsens esse, verbis Domini vim faciunt, & paralogismo petitionis principij, vt in omnibus ferè argumentis, vtuntur. Cum enim dicat panem esse corpus suum, nondum inde confectum est, substantiale & naturale corpus realiter pani coniunctum esse, cum panis alio modo sacramentaliter posit esse corpus Christi. Et cũ omninò extra controuersiam sit, Christum velle saluas manere proprietates sui corporis, cur illi eam interpretationem verborum Christi inducunt, quæ tollit veritatem corporis? aut saltem receptæ fidei contradictoria affirmat? Sed hæc sæpe copiose à nobis exposita sunt.

Veniamus iam ad Anathematismos & fulmina illa quibus nouus hic Pontifex nos prosternere conatur. Primum damnat Zuinglianorum hereticam & peruersam interpretationem verborũ Christi, Hoc est, signum vel figura ab- Anathematismi D. Andreæ.

ſentis corporis,cuius loco ſpiritus ſanctus præſens ea efficit & adminiſtrat, quæ de corpore Chriſti dicuntur. Verum non noſtram doctrinam,ſed ſuum figmentũ Anathemate ferit. Nos enim etſi apertè affirmamus, corpus Chriſti nõ eſſe ſubſtantialiter in Cœna præſens, nihilominus id operatione præſens agnoſcimus, ac veram illius communionem, quæ ſpiritu & fide fiat,cõſtanter credimus. Porrò obiectioni, quã è Luthero affert, non fuiſſe mutandum eſum agni Paſchalis, ſi non in Cœna ipſe ſanguis Chriſti,ſed eius tantum ſymbolũ detur, nos reſponſionem Oecolampadij opponemus, qui Luthero in hæc verba reſpondit: Non equidem obſcurum eſt, quam ob cauſam veteris Teſtamenti ſacrificia & ceremoniæ ceſſare & aboleri debuerint. Si enim adhuc noſtro quoque tempore in vſu eſſent (niſi forte Chriſtus illa inſtaurare voluiſſet & innouare) Chriſtum quoq; adhuc ſemel offerri aut immolari oporteret. Sanguinem illum (inquam) peregrinum & innocentem adhuc oporteret effundi. Cęterum illud nequaquam decere poteſt, vt Chriſtum immolari demum oportere dicamus, cum ſufficiens ille in peccatorũ expiationem ſanguis iam olim effuſus ſit. Illud verò longè vtilius & cõmodius eſt, vt ſigna nobis ob oculos verſentur, quæ nos iam ſaturatos eſſe oſtendant, quibus etiam gratias agamus Domino, quod hæc omnia ſic impleta ſint; vt nulla poſthac ſanguinis effuſio deſyde-

An agni eſus non fuerit mutandus niſi Chriſti ſanguis ſubſt. detur in cœna.

desyderari à nobis posit. Sed nec illud vnquam admittimus, quod quæ in veteri lege traditæ sunt ceremoniæ, quæ non citra sanguinem transigebantur, & viuentia animalia continebant, nostris hisce clariores & euidentiores fuerint. Pauciores enim erant ex eorum numero, qui sub veteris Legis traditionibus vixerunt, qui intelligere possent, quo pacto Christus Saluator per Paschalis agni celebritatem vel aliarum ceremoniarum administrationem significaretur: nec enim tam claris & expressis verbis docebatur, quod huiusmodi sacrificia ad Christum referri deberent. Qua ratione ergo Vetus Testamentum nouo clarius & dilucidius fuisse dicemus? Iam enim expositione ceremoniarum simul adhibita multis, imò infinitis modis certius cognosci potest, quod Christus pro nobis immolatus sit, quàm olim cum verbum istud tam euidens non simul etiam adderetur. Adhæc ipse Christus lux est & veritas, nec ceremonijs idē illud potest tribui, quę quantum in ipsis est, non minus obscuræ essent, quā quæ in veteri Lege traduntur, nisi per expositionis verba quæ illis addi consueuerunt, clariores redditæ, Christum quoq; clariori & euidentiori significatione denotarēt. Num verò panis fractionem & poculū Cœnæ eò minoris facere debemus, quod in pane vita nulla insit, & in poculo sanguis nullus contineatur? Quin ergo nō

" baptismum quoque vilipendimus & reprehen
" dimus, eò quod circuncisio aliquam quoq; car
" nis portionem, baptismus verò adhærentes dū
" taxat carni sordes auferre potest. Cur non illud
" potiùs respicimus, quæ nam in pane virtus sit,
" qua vitam nostram sustentat? Vtrum quæso iu
" xta significationis mysterium nobilius & præ
" stantius esse dicemus? An quod vitam suam a
" mittens alteri vitā largiri non potest, vel quod
" gaudium suum & lætitiam amittit, & alteri quò
" que eandem dare non valet? an quod alteri cuius
" piam vitæ simul & gaudij causa esse potest? Il
" lud haud dubiè nobilius esse iudicari debet,
" quod vitam simul largitur, & gaudij certi causa
" est. Panis ergo & vinum, si significationem eorū
" respicias, alteris illis longè nobiliora & excellen
" tiora erunt. Horum enim ingenium, natura &
" vsus est, vt ad vitæ sustentationem nos alant, in
" vita conseruent, & per potum omnem animi
" molestiam pellendo gaudium nouum in nobis
" exuscitent. Vnde non sine eximia quadam di-
" gnitate cœlestem illum & uiuificum panem no
" bis repræsentant. Adhæc num illud similitudi-
" nis formam & naturam tollere potest, quod pa
" nis non viuus, nec poculum sanguinolentū est?
" Immeritò igitur Christi typus est serpens ille
" æneus in deserto suspensus, immeritò item per
" granum tritici in terra putrescens, & botrū quē
" speculatores à Mose missi ex hastili suspensum
" gestarunt, idem ille nobis significatus est. Non

ergo

érgo opus eſt, vt in hac re Chriſtum literas demum docere inſtituamus. Hic enim lucis abunde ſatis eſt,ſed ijs duntaxat quibus oculi ſunt ad videndum idonei.

Secundo damnat peſtilentem eorum errorẽ qui aſſerunt indignos,hoc eſt, infideles,impios & hypocritas, tantum panẽ & vinum in cœna Domini accipere. Si hic panem & vinum opponit naturali corpori Chriſti, damnat Auguſtinum & veteres qui negant impios verũ Chriſti corpus ſumere:ſin panem intelligit vulgarem, & myſtico pani qui tropicè corpus Chriſti dicitur opponit,nemo illi contradicit:docemus enim non vulgarem panem ſed panem domini etiam impios edere, & ideó quia hunc indigne manducant, ſibi iudicium manducare.

Tertio damnat & reijcit carnales cogitationes de tanto myſterio,quod ſuperat humanam rationem, & fide in ſimplici verbo Dei apprehendendum eſt. Vtinam verò prorſus ex animo cogitationes huiuſmodi excutere poſſet, & de ſacramentorum ratione ex ſimplici doctrina verbi Dei non ex opinione præiudicata Lutheri, & ex reliquijs Papiſtici fermenti iudicaret.

Quartum anathematiſmũ cur proferat neſcimus, cum ſciat nos conſtãter aſſerere Chriſtum retinere verum corpus cum ſuis proprietatibus ſubſtantialibus, niſi forte hac damnatione vult ſe liberare ſuſpicione, quod non tollat veritatẽ

humanæ naturæ: sed cum idem corpus eodem tempore velit humani corporis proprietatem habere modo gloriosi corporis: & modo dexteræ eisdem id rursus exuat, & diuinitati exæquet, iudicent lectores pij an non se hoc anathemate feriat. Modus enim Dexteræ Dei non facit contradictoria simul vera, neque tollit contradictionem, non enim præsentiã mutat, est enim vtrobique quæstio de substantiali præsentia, quam non mutat Dextera, sed vt causa huius affertur.

Quinto loco damnatur extensio corporis Christi per omnia huius mundi loca, à qua eos nunc abhorrere gaudemus, cum aliquando ea scripserint, quæ huiusmodi præsentiam affirmare videntur.

Sextus Anathematismus eos Nestorianos & hæreticos facit, qui docent filium Dei ita sibi vniuisse assumptam humanitatem, vt diuinam suam naturam & omnipotentiam & infinitam sapientiam atque virtutem non habeat cum ea personaliter verè & reipsa communem, sed huic nihil nisi nudum nomen & titulum communicet. Si autem hic agit de communione in vna persona, scit nos docere vnione personæ, id quod Dei proprium est, commune factum esse assumptæ humanitati, & id quod humanæ naturæ proprium est, Verbo commune esse: non quod hæc separatim tribuãtur naturis, sed quod omnia quæ naturis propria sunt, personæ communicantur, vt Theodoretus scribit, & prædicantur

cantur de persona, in qua ambæ naturæ consi- stũt. Sin loquitur de reali trãsfusione proprietatũ diuinę naturę in humanã, qualẽ hactenus diu asseruit, ostendat eam prius ex Sacris literis, & purget se ab hæresibus: quas ex noua hac doctrina consequi doctissimi viri demonstrarunt, & tum demum eos damnet, qui suæ opinioni contradicunt.

Postremo loco ad inferos vsq; deijcit Alloeosin Zuinglianam, quæ cũ nihil aliud sit, quàm doctrina quæ alio nomine communicatio idiomatum nominatur, qua ad conseruandam naturarum proprietatem in eadem personæ vnitate, cuique naturæ quæ propria sunt, attribuuntur, & locutiones in concreto enunciatæ, in abstracto explicantur, quem admodum Cyrillus & veteres docuerunt, non potest alloeosin damnare, quin simul Veteres damnet, & necessariam in Ecclesia doctrinam ad tollendam separationem Nestorianam & confusionem Eutychianam, obscuret & tollat.

Atque hæc est summa anathematismorum D. Andreæ, in quibus, quemadmodum solet, malitiose nostra interpretatur, sua dissimulat, & tantum hoc agit vt nos in odium adducat. Quod autem ipsius confessionem attinet, primum dicimus eũ etsi verba retineat, non tamẽ eorum simplicem sensum retinere, & in eorũ explicatione ipsũ cũ suis hactenus humanis additionibus vsos. Cum enim Christus panẽ quem

porrigit, corpus ſuum eſſe dicat, illi interpretan tur in, ſub, & cum pane ſubſtantialiter dari corpus, non autem panem ſuo modo eſſe corpus: deinde humanæ naturæ veritatem & eius proprietates verbis quidem confitentur, reipſa tollunt: docent etiam carnalem & corporalem manducationem corporis Chriſti, quæ ore corporis fiat. Hæc autem etſi inuiſibilis & ſupernaturalis dicatur, tamen quandiu naturalis caro ore corporis edi aſſeritur, eſt aliquo modo Capernaitica manducatio. Corpus Chriſti non ſtatuunt præſens iuxtā naturam humanorum corporum, imò eam Vbiquitatem affirmant, quæ naturam & proprietatem humanæ naturę abolet, neque tamen ex ſeſsione ad dexteram aut vnione perſonali ſequitur, quandoquidem confiteri coguntur, ſalua vnione perſonali Chriſtum non fuiſſe corpore ſuo vbique præſentem, & antequam ad dexteram patris humanitate ſua Chriſtus conſederit, cœnam inſtituit. Illam autem præſentiam, qua humana natura à diuinitate aſſumpta, efficientia & operatione præſens eſt, fatemur neque fide noſtra effici, neque incredulitate impediri, ſed de ea non fuit hactenus quæſtio, ſed de ſubſtantiali præſentia et manducatione carnis Chriſti, quę cum ſola fide manducetur, impij ipſam quidem carnem Chriſti non manducant, ſed panem qui eſt corpus Domini myſticum ſibi ipſis ad iudicium ſumunt.

Qua-

Quapropter si concordia aliqua constituenda est, hoc ante omnia agendum erit, vt articuli fidei nostræ, quos Vbiquitarij noua interpretatione in controuersiam vocarunt, bene explicentur, & verus ac orthodoxus eorũ sensus retineatur. Nam nisi hoc fiat, etiãsi aliqua de cœna Dominĩ concordia iniretur, firma esse non posset. Hoc aũt fundamento iacto, si depositis affectibus præiudicijs, & falsa opinione de hominũ authoritate pia & moderata collocutio de cœna Domini instituatur, non desperamus tolerabilem aliquam concordiam iniri posse.

Quomodo concordia iniri possit.

Cæterũ quod à nobis petit, vt ipsis apud auditores nostros testimoniũ perhibeamus, quod nõ doceant carnalẽ præsentiam, & Capernaiticam manducationem carnis Christi, id tum faciemus, vbi aliter quàm hactenus docuerint, & vetera sua scripta retractarint. Nos quidem auditores nostros hortamur, vt Brentianam doctrinam ex Brentianis & Andreanis scriptis cognoscant, ac quamuis eorum Iacobum Andreę non pudeat, multos tamẽ audiuimus viros pios & moderatos, quibus dolet, & quos pudet à ministris Euangelij tam absurda dogmata magno cum impedimẽto Euangelij & infirmorum offensione spargi. Poteramus vicissim D. Andreã obtestari, ne pergat nos Arrianismi & Machometanism accusare, & tot alias calumnias contra suam ipsius conscientiam de nobis spargere, (si modo aliquis sanæ conscientiæ sensus in eo

(superest) sed quoniam ipsum omnem pudorẽ abstersisse videmus, & paratum quiduis dicere & fingere, dummodo nusquam errasse videatur, has eius calumnias in posterum non magis quam canum latratus curabimus.

De appendice testimoniorum Philippi Melanchtonis.

CVm in fine Responsionis nostræ ad Testamentum Brentij aliquot paginæ vacarẽt, adiecimus testimonia quædam desumpta ex libris D. Philippi Melanchtonis, id fraudulenter à nobis factum esse Doctor noster affirmat, vt ita persuaderemus hominibus Philippũ in causa Cœnę Dominicę consensisse cũ Zuinglianis. Sed Andream suo pede nos metiri, & cum omnia fraudulenter & sophistice agat, idem de alijs statuere, hinc apparet, Primũ quod in Latina editione eiusdẽ Responsionis nostræ, eadem testimonia omisimus, quæ facile illic quoque obtrudere potuissemus, si tam anxie Philippi authoritate aliquos in nostram sententiam perducere cogitabamus. Deinde nullum ex eius scriptis testimonium de Cœna Domini protulimus, sed tantum de ascensione Christi in cœlum & communicatione idiomatum. Postremò quod auctor in dubio ponit, id nos ita manifestum

Melanchtonem nobiscum consensisse.

puta-

putamus, vt nulla probatione egeat, Philippum ſcilicet nobiſcum conſenſiſſe in doctrina de cœna Domini, id enim non tantum teſtantur ipſius ſcripta, epiſtolæ ad Illuſtriſſimũ Principem Electorem Palatinũ Rheni, &c. & ad clariſsimum medicum D. Ioannem Cratonem, ſed ipſius quondã diſcipuli poſtea vero hoſtes atrociſſimi publicis ſcriptis affirmant, ipſum ſuffragari Sacramẽtarijs, & perfide ad ipſos defeciſſe: imo ne ipſe quidem Andreas aperte hoc negare aut contrarium de ipſo affirmare audet, ſed potius idipſum confirmat. Scribit enim nonnullos ė diſcipulis Philippi quibus forte plenius ſuam ſententiã Philippus patefecerit, conatos eſſe Zuinglianũ errorem (ſic ipſe nominat) hominibus perſuadere. Atque his vitio vertit quod diſtinxerint inter Lutheri ſcripta didactica & contentioſa, quę in ipſo certamine controuerſiæ Sacramẽtariæ ediderit. Quod tamẽ non nouũ eſt, ſed veteres ea quæ à magnis viris non ſatis cómodè ſcripta fuiſſent, hoc modo excuſare ſoliti ſunt: hæc illis excidiſſe dũ vehementius contra aduerſarios contendunt. Sic Athanaſius Epiſtolam Dionyſij Alexandrini epiſcopi, quę Arianæ hæreſi patrocinari videbatur, excuſat, quod ſcribens contra Sabellianã hæreſim, quæ tum à quibuſdam epiſcopis prouinciæ ipſius defendebatur, eius refutandæ ſtudio longius progreſſus ſit, ac dum oſtendit veram diſtinctionẽ Patris & filij, viſus ſit ſeparationẽ &

Scriptis Polemicis minus tribuendum.

dissimilitudinem naturarum inducere: verùm Athanasius ea quæ studio contradicendi Sabellianis ab eo incommodius dicta fuerant, excusat, & interpretatur adductis alijs ipsius scriptis quæ extra contentionis feruorem ab eo edita fuerant. Eodem modo viri doctissimi, Theologi scholæ Vitebergensis, cum viderent Lutherum in ardore certaminis Sacramentarij, quædam de Vbiquitate corporis Christi scripsisse, quę veram & simplicem doctrinam de duarum naturarum immutabili & inconfusa vnione in vnam personam labefactare viderentur, Lutherum defenderunt, & veram ac scripturis, & patribus, & sibi ipsi consentientē de hac re sententiam, ex alijs Lutheri scriptis didacticis, copiosè & perspicue exposuerunt. Quoniam verò damnarunt Vbiquisticę doctrinæ monstra, irascitur illis D. Andreas, & eos Zuinglianos & Sacramētarios facit, cum tamen non de cœna Domini, sed de Vbiquitate corporis Christi, et reali transfusione omnium proprietatū diuinitatis in humanitatem, controuersia inter ipsos fuerit. Atq; non potest ferre, vt commoda interpretatione Lutherum excusent, ne sibi pugnantia asseruisse videatur, cum tamē ipse oblique discedat à Lutheri sentētia: Nam Lutherus in postremis suis scriptis, ait, se probare Papistarum sententiam, quod corpus Christi in cœna adsit Definitiue: etsi autem Coryphæi Papisticæ sententiæ Guimundus & Lanfrancus hunc modum improbant,

Vbiquistæ discedunt à doctrina Lutheri.

probant, quod eo statuatur impanatio corporis Christi, nihilominus is Luthero placuit, & eum defendit pasſim in suis scriptis, in quibus docet Christum verbo se alligaſſe pani, ac verbis cœnæ dominicæ panem & corpus Christi fieri vnam substantiam: sic vt panis forma seu figura, longitudo, latitudo, color, sit figura corporis Christi, ita vt non sit panis amplius, sed corporis Christi forma, quam is suo corpori dederit his verbis, Hoc est corpus meum. Sed hūc modum præsentiæ Brentius Magicam Papistarum consecrationem nominat: ac Iacobus Andreæ negat corpus Christi modo glorificati corporis esse in multis locis: ac si corpus Christi verbis cœnæ in panem afferatur, & nō ante præsens sit, tum oportere vt omni momento ascendat & descēdat, & ab vno loco in alterū feratur. Deinde Vbiquitatē quam alicubi Lutherus docet, hi longè alio modo quā ipse affirmant: Lutherus enim inquit esse Repletiuū modum præsentiæ, qui solius diuinitatis proprius sit, & hoc modo humanitatē Christi propter vnionē personalem cum diuinitate vbiq; præsentem esse, Brentiani verò distinguunt inter Vbiquitatem Repletiuā & Personalē, atq; aiunt humanitatē Christi personaliter vbiq; præsentē esse: deinde conātur indicare aliū modū Vbiquitatis quo diuinitas, et aliū quo humanitas præsens sit, quamuis nondū verā distinctionē ostenderint: Lutherus aūt hic nullū discrimē ponit, sed modo Vbi-

quitatis Repletiuo qui diuinitatis proprius est, ait humanitatem Christi vbiq; esse. Quare cum Aduersarij à Lutheri sententia discedāt, & nihilominus eius auctoritate defendant nouā & absurdam suam doctrinam, de cōmunicata Deitate & effusione omnium proprietatum diuinitatis in humanam naturam, cur non licuisset Lutheri discipulis præceptorem suū defendere, & ea quæ minus cōmode dicta sunt, quæq; etiam Vbiquistę non simpliciter sequuntur, ex perspicuis scriptis ipsius Lutheri interpretari?

Quod si omnia Lutheri scripta pro oraculis habēda sunt, & ab eius sententia & verbis de cœna Domini non licet deflectere, videant quomodo primum defendant ea quæ feruente certamine Sacramentario scripsit, nam vt aliquoties in hac nostra Apologia ostendimus, contrarias & inter se pugnantes opiniones de modo præsentiæ corporis Christi affirmat diuersis locis suorum scriptorum. Quod si hæc aliquo modo excusare & conciliare poterunt, quid facient di dacticis scriptis Lutheri, quæ ab ipso ante hanc contentionem edita sunt? multa enim olim ipse Lutherus scripsit & docuit, quæ nunc ab eius discipulis tanquam hæretica & Zuingliana damnantur. Pauca huius generis locis notatis indicabimus. Primum verba Christi Ioannis 6. Caro nihil prodest, interpretatus est olim de ipsa carne Christi, & eius corporali atque orali manducatione, quod scilicet hęc nihil prosit. In

Lutherus multa scripsit quæ nunc Zuingliana dicūtur.

concione

concione ſuper Euangelium Ioannis 6. habita anno 1523. Item in Poſtilla maiore, in Die corporis Chriſti. Præterea in concione in Dominica Septuageſimæ ſuper cap. 10. primæ epiſt. ad Corint. Secundo verba Cœnæ ante ortã controuerſiã docuit eſſe verba gratiæ & promiſsionis, in quibus Chriſtus carnem ſuã & ſanguinẽ ſuũ fidelibus offerat & det, quemadmodũ in Baptiſmo ſalutem. In ſermone Latino de confeſsione & Sacramento altaris. Tertio verba Pauli, Panis quem frangimus, nonne communicatio eſt corporis Chriſti? tribus in locis de ſpirituali communicatione ſanctorum & eorum vnione cum Chriſto, vtpote membrorum Chriſti cum capite, olim interpretatus eſt. In ſermone Germanico de Sacramẽto & fraternitatibus. In ſermone de Confeſsione & Sacramento, & in Poſtilla maiore de perceptione Sacramenti.

Si igitur omnia ſcripta Lutheri probant & ſequuntur Aduerſarij noſtri, cur nos damnant quando eodẽ modo, quo Lutherus, verba Chriſti & Pauli interpretamur? Cur pia eſt ſententia Luthero eam proferente, at vbi nos idem dicimus, peruertimus verba Chriſti, & hæretici illis ſumus? Si vero hic à Lutheri ſententia diſcedũt, & eius auctoritate teneri nolunt, cur nõ liceret nobis quoque à Lutheri ſententia diſcedere, vbi ſcripturis ſuam opinionem & ſententiam confirmare non poteſt? Dicunt Lutherum ipſũ aliter poſteà docuiſſe & ſcripſiſſe.

Fatemur, ſed hoc ipſo eius inconſtantiam arguunt. Cum enim illi Dei beneficio in hac cauſa ſacramentaria veritas illuceſcere cœpiſſet, hæc quę citauimus, ante exortã cõtrouerſiam pie & ſancte ſcripſit, errores Papiſtarum redarguit, & verum vſum myſteriorum docere cœpit: poſtquam vero ex pacto quaſi & ſtipulatione facta cum Carolostadio contendere cœpit, genus doctrinæ in hac cauſa mutauit: & quod maius eſt ipſa Pauli verba poſtea aliter tranſtulit quã ante fecerat, Ein brot iſt es / ſo ſind wir vil ein leyb, atque non dubitauit verbis ſcripturæ vim inferre, tantum vt corporalem pręſentiam & diſtributionem corporis Chriſti aſſerere poſſet: ſedquam laudem hoc factum mereatur, pijs iudicandum relinquimus, Si Oecolampadius aut Zuinglius tale quid feciſſent, Deus bone quanta vehementia contra eos detonaſſet, & fulminibus ſuis vſq; ad inferos detruſiſſet. Equidem maluiſſemus hæc ſilentio præterire, quoniam vero Aduerſarij Lutheri auctoritatę nos opprimere conantur, & omnia illius pro oraculis habent: eos vero, qui ſe Lutheri diſcipulos profitẽtur, ſed dure & incommode ab eo dicta mitigare conantur, & verenda patris ſui tegere cupiunt, damnant & hoſtium more perſequuntur, cogimur ſcriptorum eius mentionem facere, & eius infirmitatem & inconſtantiam in hac cauſa oſtendere: qui non tantum ſimplex doctrinę genus quo ab initio detectis multis erroribus Papi-

nconſtantia q. Lutheri.

Papiſtarum vſus eſt, mutauit, ſed ne in aſſerenda quidem ſubſtantiali præſentia carnis Chriſti certam & ſolidam doctrinam ſecutus eſt, ac modo Papiſtarũ ſententiam probauit, poſtea Vbiquitatem corporis Chriſti aſſeruit, eadem rurſus relicta definitiuo modo carnem Chriſti pręſentem eſſe docuit: & nunc panem eſſe corpus Chriſti ſcripſit, vnamque eſſe ſubſtantiam corporis Chriſti & panis, mox in cum & ſub pane dari corpus Chriſti docuit. Hæc varietas ſententiarum arguit eum non certum fuiſſe de ſua ſententia, neque ſuper petram ædificaſſe: quare pios & fideles omnes hortamur ne huius viri alioqui magni auctoritate ſeſe patiantur ſeduci, ſed hominum auctoritate ſepoſita expendant non quis ſed quid dicatur, & teſtimonia ſacrarum literarum atque argumenta que vtrinque proferantur examinent diligenter, & ita demum ſtatuãt quid ſibi ſequendum ſit. Quod ſi fecerint, facile etiam ſtatuere poterunt de Lutheri ſcriptis quid in his probandum ſit. Nam quod quidam negant aliquod eſſe diſcrimen inter didactica & Polemica ſiue contentioſa ſcripta, illi ſane impudenter faciunt, ac quia ipſi auhoritate viri obcæcati diſcrimen hoc fortè non aduertunt, alios ſecum cæcutire volunt. Cæterùm de colloquio quod Lutherus cum Melanchtone habuit de cœna Domini, nos quidem nihil ſcripſimus, at Theologi Heidelbergenſes ſe id teſtibus fide dignis probaturos

Not. B.

Colloquiũ Luth. cum Melanchr.

dixerunt, quibus certe plus fidei tribuendum est quam D. Andreæ toties mendacij conuicto. Num vero vates est Doctor noster, qui sciat omnium sermones & colloquia? An falsum est Philippum hæc de Luthero amicis suis cõmemoraſſe, quia id D. Andreas negat? & illi negan ti id de quo præter opinionem suam nihil afferre poteſt, potius fides habenda erit, quam clarissimis viris amicis Melanchtonis, qui sancte affirmant se hæc ex ipso Melanchtone audiuiſſe?

Tandem ad id accedit Doctor noster, cuius potissimum causa Appendicem testimoniorum Philippi reprehendendam suſcepit, ac animi sui gaudium prodit, quod Melanchtonis discipuli, quos inquit Zuinglianum errorem clam disseminaſſe, meritas pœnas luerint. Equidem nos qui à Saxonia longiſsime absumus, de hac causa vt non bene nobis cognita nihil pronuntiare poſſumus: neque hic de facto Illustrissimi Principis electoris sententiam ferre volumus. Attamen iniquiſsimum iudicium D. Andreæ silentio præterire non poſſumus: laudat pium zelum magistratus, qui punierit diſcipulos Melanchtonis, clam (vt ipse affirmat) Zuinglianam doctrinam spargentes: at magistratum nostræ Confeſsionis propter supplicium de Serueto & Gentile sumptum damnat, & ex facto hoc probat Zuinglianum spiritum latrocinij auctorem eſſe: cum tamen omnibus

nibus constet ambos & præcipue Seruetum, in publicum euomuisse horrendas & antehac inauditas blasphemias contra sacrosanctam Trinitatē. Vides quanta sit equitas in doctore theologo. Cogitet autem Iacobus Andreæ qui nunc aliorum calamitati insultet, eum qui gaudet in contritione alterius non fore immunem, vt Solomon sapientissime monet. Etsi enim ea præsidia sibi comparasse videtur, quibus ab omni fortunæ insultu tutus & securus esse possit, habet tamen suum iudicem iustissimum, cui factorum & dictorum rationem reddet: & quis scit an forte instet tempus vt artes eius, imposturæ, mendacia, calumniæ detegantur, vt iusto iudicio excidat potentum fauore & gratia, atq; illis præsidijs quibus maxime nunc nititur? Nam Iacobum Andreæ non bonitati causæ, sed hominum potentiæ confidere, ipsemet cum aliâs tum in fine libelli sui ostendit, vbi magistratus monet, caueant, ne vsquā proponatur Zuingliana doctrina: existimat enim se hac ratione facile victoriam adepturum, si quid uis impune de quibus vis fingat, nemini autem liceat audire vel legere nostram defensionem, qua falsæ ipsius criminationes cōfutantur. Sed nos omnes homines cuiuscunque ordinis fuerint, denuo oramus, vt eam æquitatem in hac causa nobis præstent, quæ in ciuilibus causis seruari solet, etiamsi Iudæus aliquis aut Turca accusatus fuerit, vt non ante sententiam se-

Not. improbi sycophantæ singulare exemplum

Responsionem nostram cognosci debere.

Not. B.

Nemo damnatus causa non audita.

stant quàm vtranque partem audierint. Equidem si tales essemus quales nos fingit Iacobus Andreas, merito nullus in ecclesia Christi locus nobis concedendus esset: sed Dei beneficio ab erroribus & hæresibus quas nobis tribuit longissime absumus. Quod si optimæ fidei homo esset, tamen nullius tanta debet esse auctoritas vt ad eius accusationem quisquam inauditus damnetur: postquam vero toties mendacij & calumniæ conuictus est, iniquissimum foret tot ecclesias ad eius accusationem & testimonium condemnare nostra responsione inaudita & incognita. Et quamuis hactenus sedulò hoc egerint Aduersarij nostri, vt omnem nostris libris aditum præcluderent, hoc ipso iridicantes se propriæ causæ diffidere, neque dubitamus ijsdē rationibus nunc quoque conaturos nos opprimere, nihilominus speramus nō defuturos passim per Germaniam viros bonos & moderatos qui nostra quoque legere & expendere non dedignabūtur. Hos autem oramus, vt si quid videamur vehementius contra Aduersarium nostrū scripsisse, veniam dent iusto dolori & indignationi non iniquæ. Nam Iacobus Andreæ non tantum nos cōuitijs proscindit, & impostores, præstigiatores, irrisores, adulatores, mendaces, & spiritu mendacij plenos, qui non possimus verum dicere quin mentiamur, falsos testes, calumniatores, latrones, seditionum & tumultuū authores, hæreticos, Nestorianos, & homines

Cōuitia & calumniæ Andreæ cōtra nos.

Turais

Turcis peiores vocat, sed nostram quoque doctrinam contumeliosissimè insectatur, eam vocat nouam, crassam, erroneam, carnale figmentum, pueriles cogitationes, somnia, ridiculam opinionem, peruersionem scripturarum, hæresim & errorem damnatum, laruam diaboli maledictam: calumniatur nos quod nullam habeamus fidem, nullam veram agnitionem Christi, quod duos Christos faciamus, abnegemus Christum, & sua omnipotentia spoliemus, articulum fidei de ascensione falsò explicemus, verba Christi peruertamus, patrum testimonia in alienam sententiam detorqueamus, doctrinam de vnione personali ore tantùm confiteamur, interim omnem communionem diuinitatis cum humanitate negemus, atque ita Arrianis & Machometanis viam sternamus. Hæc inquam, & alia plura cum falsò de nobis scribat D. Andreas, & singulis fere paginis libri sui ad fastidium vsque repetat, ac simul vbique bonis viris negotium facessat, & pacem ecclesiarum turbet, coacti sumus non tantùm nostram innocentiam asserere, sed etiam illius fucos, imposturas, mendacia & calumnias detegere, vt viri boni quorum multos simulato pietatis studio, & magnificis gloriationibus decepit, tandem ambitiosum sophistam agnoscant. Præterea omnes qui hanc nostram Apologiam legunt, rogamus ne offendantur crebra quarundam rerum repetitione: scimus quidem repetitiones huiusm

modi lectori fastidium afferre: sed quia nobis propositum fuit ordine ad singula Aduersarij obiecta respondere, & ille sæpe admodum eadẽ inculcat, necesse nobis fuit sæpius quoque ad ea respondere ne quicquam studiose omittere & subterfugere videremur.

Iusta et pia precatio.

Postremo singulos qui veritatis studio tenentur, & pacem ecclesiarum ex animo quærunt, obtestamur, vt cognita Aduersarij nostri accusatione & nostra etiam defensione, singula diligenter examinent, & ad lydium lapidem sacrarum literarum probent, hoc enim si fecerint, videbunt qui nam falsam & hactenus inauditam doctrinam ecclesiæ proponant, & contentionũ atque hæresum auctores sint, à quibus meritò sibi vt à lupis rapacibus cauere debeant. Intereà quoque vnà nobiscum precentur Deum patrẽ domini nostri Iesu Christi, vt veritatis lucem quotidie nobis magis illucescere velit, & compressis arrogantium & ambitiosorum hominũ conatibus, tandem pacem aliquam ecclesiæ suę, hoc tristi certamine miserè conquassatæ & afflictæ pro sua immensa bonitate largiatur, Amen.

M L —

Carlos Prado

13.12.88

